Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

III M 4550-4554 c
4466

4560 — 4554. III. M. C. 2. A.
4466.

R. P. Constantinus Swięcicki, Ord: Min: Obs: Ser.mi et Potentiss.mi
Augusti III. ort: Pol: Reg: M.D: Lit: ac Elect: Sax: etc. aulicus Theologus.

4550
Conventus FF. Ecl Exem. Fiscal. S.

DE JURE NATURÆ ET GENTIUM IN GENERE; ET DE JURE BELLI ET PACIS IN SPECIE.

P. Augustini ad V. Jozef

AUTHORE

R. P. CONSTANTINO SWIĘCICKI

ryphum Labaci.

Ord. Min. Observ. S. Francisci Lect. Theologo, Provinciæ Litvaniæ Exdefinitore, Serenissi. & Potentissi. Augusti III. Orthodoxi Poloniæ Regis Magn. Duc. Litvan. ac Elect. Saxon. &c. Aulico Theologo.

Ad Usum S. Simonemo leni á S. Mc
P. Crasmi á do vero P. Marcel. xandro 1764.

LUCÆ, MDCCLXIII.

Sed Prostant

VENETIIS

APUD ANTONIUM BORTO

K K LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

Ad usum P. Marcellini à S. Alexandro August. Discalc.

bp990030=MI

BENEVOLO LECTORI.

TExtare mentibus noſtris legem Naturalem nemo negat niſi qui deſipit, & nec ſe, nec hominem novit. Quiſquis ſeipſum vel leviter excuſſerit, facile de-

deprehendet ſibi juſti & injuſti, honeſti & turpis principia ab ipſa natura, vel potius a ſummo Naturæ Auctore ingeſta eſſe atque impreſſa. Ea protoparenti Adamo Deus Creator infudit, iiſque unicum preceptum poſitivum adjecit, quo ipſi prohibebatur ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederet. Legem hanc obſervatu facillimam aliena ſolicitatione victus violavit, & hinc immenſa malorum ſeges. Peccatum ſecuta eſt moriendi neceſſitas, & concupiſcentia incepit adverſus rationem pugnare. Non tamen extinctum penitus fuit lumen illud, quo illuſtrati rectum a pravo, æquum ab iniquo ſecernimus: hoc enim & Conditoris bonitati repugnat, & ipſis hiſtoriarum monumentis refellitur. Primis enim illis ab Orbe condito temporibus nondum inſtituti erant inanium Numinum cultus, unicus agnoſcebatur *Deus*, & ſincere colebatur, proindeque vigebat juſtitia cum vera religione neceſſario & indiſſolubiliter connexa, &, ſi Cainum exceperis aliaque pauca forte monſtra potius quam hominis, nemo de aliorum pernicie cogitabat, nullæ inimicitiæ, nulla bella.

Non-

Nondum vesanos rabies nudaverat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota.

At successu temporis sublata e plerorumque animis vera religione, & introducta Idololatria, omnis caro viam corrupit; disruptum est humanæ societatis vinculum. Hinc rapere aliena, in privatum commodum omnia trahere, proximo insidiari, & omnia in præceps ruere: Sic ut grassante passim libidine, falsis opinionibus, & pravis moribus ipsa lex naturalis pæne obliteraretur.

Hæc igitur ut in animis hominum reviviscceret, ejusque præcepta iis apertiora fierent; data est lex scripta, quam Deus per servum suum Moysen promulgavit, quæquæ Exodo & Deuteronomio præcipue continetur. Sed cum lex illa scripta, teste D. Augustino, libro de Gratia Christi capite octavo, juberet potius quam juvaret, & morbum doceret esse non sanaret; ubi venit plenitudo temporis Deus Parens indulgentissimus Filium suum misit, qui peccatum tolleret: viam hominibus ad veram Patriam aperiret: præceptorum sanctitate, atque uberiore quam antea fuerat, gratiæ largitione cupiditates comprimeret: Evangeli-

gelica luce denſas injuſtitiæ tenebras diſſiparet : Cultum Dei purum & perfectum toto Orbe conſtitueret, & æquitatis naturalis ſemina, quæ humani generis conditor inſeverat, ſed cupiditate ferme extincta erant, iterum excitaret, foveret, & ad copioſiorem lætioremque fructum perduceret. Iis præceptis inſtructi alios homines ut fratres diligimus : Patris communis beneficia cum indigentibus partimur ; nulli nocemus, nullum premimus, nec fores claudimus hoſpiti, nec aures precanti; ſumus largi, benefici, liberales : quas regias eſſe laudes Tullius exiſtimavit, ego verius dixerim Chriſtianas, hoc eſt a Chriſto Domino Diſcipulis commendatas.

Reperiuntur quippe paſſim in ſacris novi Teſtamenti libris ſententiæ illuſtres, quibus NATURÆ JUS egregie explicatur, illuſtratur, & confirmatur; iis innixi Pontifices & Concilia, varia de officiis ediderunt decreta : Sancti Eccleſiæ Patres, aliique Apoſtolici viri, qui Divinæ Scripturæ exponendæ operam dederunt, ſæpe etiam de JURIS NATURALIS præceptis ſermonem inſtituunt, eaque enodant ; quorum veſtigiis inſiſtentes Theologi Chriſtianorum Dogmatum explicationi ſolidas de eo quod

natura æquum & iniquum eſt, diſſertationes annectunt.

Nec defuerunt, hiſce præſertim poſtremis temporibus, qui JURIS NATURALIS præcepta in unam veluti formam, & adæquatum Syſtema redigere tentaverunt. Sed in hujuſcemodi libris ſummo delectu opus eſt atque judicio; plerique enim dum præclaram illam diſciplinam tradere & illuſtrare ſeſe jactitant, eam miſerum in modum fœdant ac dilacerant, & in periculoſiſſimos capitaleſque errores impingunt.

Alii enim ſentiunt ante Imperia, juſtum & injuſtum non extitiſſe: actionem omnem natura ſua eſſe adiaphoram: quod juſta vel injuſta ſit, a Jure Imperantis provenire, & ſic conſentiunt Ethnico Poetæ dicenti.

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi, faſtoſque velis evolvere mundi
Nec Natura poteſt juſto ſecernere iniquum;
Dividit ut mala diverſis, fugienda petendis.

Alii autem volunt Principem legibus in univerſum omnibus, adeoque & naturalibus ſolutum: omnes ad unum Acatholici Sacerdotii & Imperii jura confundunt. Tandem ne multos enumerem errores, quos fuſe expo-

no & confuto, Scholasticos Doctores, SS. PP. & ipsos Sacros Canones ubique superbe despiciunt.

Meo igitur muneri conveniens & communiuti litati accommodum existimavi, quæ de JURE NATURÆ & GENTIUM olim commentatus sum, publici juris facere, idque tradere quod

Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.

Ea sic tractavi, ut quæ rationi naturali consentanea existimavi, etiam Sacris Litteris, Conciliis, Patribus, Pontificum Decretis, & Doctoribus confirmaverim; positis in Genere utriusque juris principiis exinde varia deduxerim officia ad quæ tenemur, eo modo, & ordine, qui ex singularum disputationum Proœmio facile poterit intelligi: & quia haud leves quæstiones sunt, quæ circa JUS BELLI & PACIS proponuntur, de eo in specie & peculiariter differendum duxi.

In afferendis autem propositionibus & retundendis adversariorum argumentis (quæ candide semper & expressis ipsorum verbis retuli nec inanis gloriæ cupiditas, nec malesanum contradicendi studium, nec

novitatis amor direxit) unicus mihi finis veritas, pro qua viro Christiano & Religioso ad extremum usque vitæ spiritum decertandum est. Vive & vale.

Censura Theologorum Ordinis.

EGo Infrascriptus, cum mandatum acceperim a R^mo P. Clemente de Panormo Ordinis Minorum Ministro Generali, ut recognoscerem Opus, cui titulus est *De Jure Naturæ, & Gentium in Genere, & de Jure Belli, & Pacis in Specie*, Auctore R. P. Constantino Swięcicki Provinciæ Litvaniæ Min. Obs Lectore Theologo, ac Exdefinitore, quod alii duo Ordinis Nostri Theologi approbarunt, illud Sedulo recognovi; in eoque animadverti constare doctrinam solidam, atque Orthodoxam, qua commenta potissimum Protestantium refelluntur. Ea propter dignissimum censeo, ut typis edi possit.

Romæ in Aracœli Kalendis Maii 1762.

Fr Joannes de Luca Venetus
Coram Summo Pontifice
Examinat. Episcoporum.

Licentia, & Approbatio Ordinis.

Fr. Clemens de Panormo Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis Visitator, ac Reformator Apostolicus, & Servus.

CUm Opus compositum a P. F. Constantino Swięcicki Nostræ Observantis Provinciæ Litvaniæ Lectore Theologo, ac Exdefinitore, cujus titulus est: *De Jure Naturæ & Gentium in Genere, Belli & Pacis in Specie*, a duobus PP. Theologis, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit, vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus servatis servandis, illud typis mandare possit.

Datum Mantuæ in Conventu S. P. N. Francisci 1762. Die 26. Maii.

Fr. Clemens de Panormo Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Reverendiss in Christo Patris Fr. Vincentius Scutari Exdefinitor General. & Secret. Gener. Ordinis.

LIbentissime jussis tuis R.me P. obtemperavi, & Librum cui titulus est: *De jure Naturæ, & Gentium in Genere, & de Jure Belli, & Pacis in Specie*, Auctore R. P. Constantino Swięcicki Lectore Theologo, ac Exdefinitore attente legi. Nihil in eo reperii, quod aut Catholicis Dogmatibus, aut Christianis moribus, aut juris Principum adversetur. Multa imo continet, quæ intricatissimæ Doctrinæ de Jure Naturæ, & Gentium illustrandæ inserviunt: ac plurimos refellit errores eorum, qui Jus Naturæ, & Gentium tam illustrarunt, quam perniciosis Doctrinis corruperunt. Qua de causa dicerem, si Paternitati Tuæ Reverendissimæ videbitur, opus seu Librum supra memoratum in publicam lucem edi posse.

Deum rogo, ut Te ad multos annos Christianæ, ac Litterariæ Reipublicæ, nostrique Ordinis bono servet incolumem, Teque precor ut mihi Seraphicam Benedictionem impertiare.

Romæ in Aracœli hac Die 17. Februarij 1762.

F. Franciscus Antonius de Corbaria
Chronologus Ordinis.

IN-

INDEX

Disputationum, & Capitum.

De Jure Naturæ, & Gentium in Genere.

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS. Pag. 1

Caput I. De Philosophis Græcis. 2
Caput II. Ee Romanis. 4
Caput III. De Christianis, & SS. Patribus. 6
Caput IV. De Acatholicis, eorumque in Scriptores Catholicos calumniis. 7
Caput V. De Acatholicorum in SS. Patres conviciis. 9
Caput VI. De recto juris Naturæ usu. 12
Caput VII. De recta addiscendi juris Naturæ ratione. 20

DISQUISITIO HISTORICA.

Caput I. De Origine, & progressu juris publici, tum Naturæ, tum Gentium, 23
Caput II. De politica vivendi forma post diluvium usque ad legem scriptam. 26
Caput III. De Noachidarum forma vivendi, & utrum jus naturale, ac Gentium coluerint. 28
Caput IV. De prima rerum divisione, & Dominiorum origine. 30
Caput V. Quæ fuerit Imperiorum Origo. 31
Caput VI. Quomodo jus Naturæ, & Gentium ex lege Divina Scripta, & Hebræis tradita, sit confirmatum, & illustratum. Item de Traditionibus Hebræorum. 32
Caput VII. De juris naturalis conditione apud Gentiles

tiles tempore legis ſcriptæ, deque Morali Philoſophia: item de moribus Judæorum. 35
Caput VIII. Quid Lex Evangelica ſplendoris attulle-rit juri Naturæ, quid jus Civile, & Canonicum. 37
Caput IX. Quid conferant ad diſciplinam juris Naturæ, & Gentium ſcripta quorundam Proteſtantium, qui ſunt celebriores, hoc eſt Grotii, Hobbeſii, Puffendorfii, Thomaſii. 39

PARS PRIMA.

De Jure Naturæ, & Gentium in Genere.

DISPUTATIO PRIMA.

De moralitate actuum humanorum.

Caput I. De prima Moralitatis origine. 43
Caput II. De libertate, & proximis conſtitutivis Moralitatis. 46
Caput III. De intrinſeco principio Moralitatis. 56
Caput IV. De honeſtate actuum humanorum. 63
Caput V. Veterum Philoſophorum de interna actuum honeſtate ſententia. 69
Caput VI. Puffendorfii ſententia de lege honeſtatis regula. 71
Caput VII. Impia Spinoſa, & Hobbeſii Syſtemata de regula honeſtatis. 76

DISPUTATIO SECUNDA.

Quænam ſint principia intrinſeca effectiva, & impulſiva actionum moralium.

Caput I. De principiis intrinſecis effectivis. 78
Caput II. De principiis intrinſecis impulſivis actionum humanarum. 82

DIS-

DISPUTATIO TERTIA.

De proprietate, quæ neceſſario conſequitur moralitatem actus humani, diciturque imputabilitas.

Caput Unicum. 86

DISPUTATIO QUARTA.

De Lege Naturæ, & Gentium.

Caput I. De ſtatu hominis naturali, & ejus proprietate. 89
Caput II. De eſſentia, & proprietatibus Juris Naturæ. 93

DISPUTATIO QUINTA.

De principio cognoſcendi Juris Naturalis, hoc eſt, quid præceptum, quid vetitum ſit Jure Naturæ. 95

Caput I. De aliis ſententiis recentiorum circa principia Juris Naturæ. 103
Caput II. Quodnam ſit principium fundamentale Juris Naturæ ex communi ſententia. 105
Caput III. Solvuntur objectiones contra principium amoris debiti. 106

DISPUTATIO SEXTA.

De exiſtentia Juris Gentium, an, & quomodo differat a Jure Naturæ, ejuſque definitio. 109

Caput Unicum. De diviſione Juris Gentium; tum quale, & quotuplex ejus objectum. 115

DIS-

DISPUTATIO SEPTIMA.

De officiis hominis erga Deum, ſeipſum, & proximum; Jure Naturæ præſcriptis. 118

Caput I. De officiis hominis erga Deum. 119
Caput II. An Proteſtantes recte ducant argumentum ex religione naturali ad religionem Chriſtianam, ſic ut diviſionem poteſtatis Sacræ, ac profanæ Juris Divini minime eſſe evincere queant. 126
Caput III. De Habitudine Religionis Judaicæ ad Chriſtianam. 136
Caput IV. De Habitudine Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem. 140
Caput V. De officiis erga ſeipſum. 142
Caput VI. De officiis erga proximum. 143
Caput VII. De hominum dominio in homines. 144

DISPUTATIO OCTAVA.

De lege, ejuſque vi obligandi.

Caput I. De lege in Genere. 148
Caput II. De lege æterna. 151

DISPUTATIO NONA.

De proxima regula bonitatis, & malitiæ humanorum actuum, quæ eſt recta ratio, ſeu conſcientia. 154

Caput I. De conſcientia erronea, dubia, tuta, certa, ſcrupuloſa. 155
Caput II. De conſcientia probabili. 159

PARS SECUNDA.

De Jure Belli, & Pacis in Specie.

DISPUTATIO PRIMA.

De Bello, ejuſque cauſis, ac de officiis, quæ inde naſcuntur.

Caput I. De origine, natura, licentia, & conditionibus Belli. 165
Caput II. De juſtitia Belli ratione Religionis. 177
Caput III. Quid ſentiendum in ſpecie de cauſa juſta Belli adverſus infideles. 180
Caput IV. De Bello cauſa Religionis contra Paganos. 183
Caput V. De juſtitia Belli contra ſubditos hæreticos cauſa Religionis. 191
Caput VI. De juſtitia, ac injuſtitia Belli ratione Regionis. 194
Caput VII. An negatus tranſitus militaris ſit juſta Belli cauſa. 200

DISPUTATIO SECUNDA.

De effectibus Belli. 205

Caput I. De effectibus Belli primario, & ſecundario reſpectu hoſtium. 206
Caput II. De effectibus Belli relate ad victores, & victos. 211
Caput III. De effectibus Belli quoad ſubditos. 214
Caput IV. De obligationibus in Bello. 215
Caput V. De Repreſaliis. 218

DIS.

DISPUTATIO TERTIA.

De Fœderibus.

Caput I. De origine fœderum, eorumque materia, forma, ritu, obligatione, executione, dissolutione, cautionibus adhiberi solitis 220
Caput II. An, & quatenus fœdus licitum sit. 225

DISPUTATIO QUARTA.

De Jure Pacis, ejusque natura, & proprietatibus.

Caput I. De natura, subjecto, & objecto Pacis. 231
Caput II. De effectibus Pacis, & ei contrariis. 234
Caput III. De accessoriis Pacis. 236

DISPUTATIO QUINTA.

De mutua hominum Caritate.

Caput Unicum. 239

DISPUTATIO ULTIMA.

De mutuo Officiorum concursu.

Caput Ultimum. 224

R. P. CONSTANTINI SWIĘCICKI

O. M. OBSERVANTIUM THEOLOGI.

DE JURE NATURÆ ET GENTIUM IN GENERE.

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

Philosophiæ nobilissima pars est illa, quæ morum Doctrinam continet, & ad cognitionem animi pulcherrima, & ad mores instituendos apriuc utilis. Quæ vero Jus Naturæ, & Gentium investigat, ea est fundamentum Philosophiæ Moralis universæ. Nemo sane vel mediocriter eruditus ignorat, quanti semper hanc morum disciplinam sapientes fecerint viri cujusvis ætatis, quorum longum esset vel nomina recensere. Nonnullos tamen commemorabo,

CAPUT I.

De Philoſophis Græcis.

UT Ægyptios, Chaldeos, & Perſas prætéream, quorum Ethicen Gudlingius perſecutus eſt in Hiſtoria Philoſophiæ Moralis Cap. 1. neminem latet omnem Pythagoræ Philoſophiam ad ſtudium virtutis comparatam fuiſſe. Unicum enim ſibi ille finem propoſuerat, ut homines informaret ad ſimilitudinem Dei, quoad fieri poſſet conſequendam. Eminere deinde inter Græcos viſi ſunt complures excellentia moralis Philoſophiæ; ſic illorum ſeptem, qui ſunt Græciæ conſenſu dicti Sapientes, præclare ſententiæ ad mores pertinent. Socratem, ait Cicero Libro primo de Oratore, *omnium ſapientiſſimum, & Sanctiſſimum, ad mores formandos, vitamque hominum rite inſtituendam Philoſophiæ ſtudium omne tranſtuliſſe, accepimus*. Ejus doctrina morum, vel hominem ſolum ſpectandum docet, vel ut eſt pater familias, vel ut eſt Civis. Ad primum pertinet Ethica ejus, ad ſecundum Economica, Politica ad tertium. Plato quamquam placitis ſuis moralem corrupiſſe Philoſophiam cenſeatur (abſurda enim de animi ſubſtantia docuit) de virtutibus tamen, ac ſummo bono ita ſolide, ac prudenter diſſeruit, ut nemo fuerit ex Ethnicorum numero, qui propius, quam Plato, ad Chriſtianæ de moribus Philoſophiæ præcepta accederet. Ariſtotelis Ethicorum ad Nicomachum libri decem, Magnorum moralium libri duo, & moralium ad Eudemum libri ſeptem, totam exhibent Philoſophi hujus morum diſciplinam. De viri hujus Ethica idem dici poteſt, ac de ipſius fortuna. Ab aliquibus enim ſummum attigiſſe

gisse humanæ sapientiæ fastigium creditus est: aliis vicissim ejus morum Philosophia nugacissima visa est. Buddeus in Isagoge Historiæ Theologicæ Lib. 1. cap. 4. ita opinatur: Cum Plato ad animi purgationem interiorem respiceret, Aristotelem contra vitæ tantum civilis sibi habendam rationem putasse, eoque Philosophiam suam Moralem comparatam esse voluisse: hanc ait fuisse opinionem eorum, qui accuratius mentem Aristotelis introspexerunt; eum nempe Civilem potius, quam Moralem Philosophiam tradidisse, hoc est, institutionem viri politici, & ad honores Reipublicæ adspirantis. Sed profecto fallitur Buddeus. Melior mihi videtur Stanleij sententia, qui Hist. Philosophiæ Tomo 2. Cap 7 ait: *Aristoteles felicitatem in bonis exterioribus constare, sicut Polyenus ait; nec in animo solum, sicuti Plato docebat: sed habere quidem formam in anima, coinquinari autem, & conspurcari solum ipsam ab exterioribus non bene se habentibus. Peculiaria morum præcepta ex Aristotele Stobbeus congessit.* Stanlejus loco citato Aristotelis Ethicen accurate describit: quem qui legat, intelliget, quam vana sint, quæ jactat Buddeus loco citato, scilicet: *ejusmodi virtutes civiles, cum in quemlibet hominem, quantumvis solis naturæ viribus instructum cadant, ratio intelligitur, cur Ethica ista Aristotelica cum dogmatibus Pelagianorum egregie consentiat, utpote qui itidem non alias virtutes, quam ad quas naturæ vires sufficerent, admittebat.*

Ante Christum natum Philosophi Ethnici nihil sciebant de gratia Christi, & in hoc fortasse Pelagianis præluserunt, quod se recte, ac sapienter vivere naturæ viribus posse arbitrarentur: In qua opinione non Aristoteles modo, sed Plato, ac Stoici versati sunt. Deinde falsum est, non alias ab Aristotele nisi civiles agnosci virtutes. Quo circa Buddeus illa conscri-

bens Martino ſuo blandiri voluit, cujus apud ipſum nota erat vox: Tota fere Ariſtotelis *Ethica peſſima eſt, gratiæ inimica, error eſt, Ariſtotelis ſententiam de felicitate non repugnare Doctrinæ Catholicæ.*

Græcorum alii hos conſecuti morum Philoſophiam non omiſerunt. Ipſi etiam Cyrenaici, atque Epicuri ſectatores, corporis voluptatibus omnia tribuentes magis videri, quam eſſe Morales Philoſophi cupiebant. De Cynicis vero, ac Pirrhonicis rerum omnium adiaphoriam, ſeu indifferentiam propugnantibus illud conſtat, moralitatis modos ab ipſis admiſſos, eos tamen, quos Civiles leges tantum ſtatuerent. Peſtifera ſane dogmata, quæ tamen Hobbeſius, Spinoſa, Tollandus, Jurieus, aliique ex Batavia, Angliaque Scriptores renovarunt, honeſtatis principia, & Religionis fundamenta ad ſtatum mere civilem referentes. Quo circa *prudentiam, vel potius ſimulationem exigunt, qua ſe ſe ad cultum civilis ſocietatis accommodent.* Id patet ex Libro: L'eſprit des Loix.

CAPUT II.

De Romanis.

ROmani in morum doctrina, & jure Naturæ præſtantiores, quam in reliqua Philoſophia fuere, unum, aut alterum proferre ſufficiat. Marci Tullii Ciceronis de hoc argumento commentarii omnium manibus teruntur. In Libris de finibus bonorum, & malorum expendit Epicuri, Stoicorum, ac Peripateticorum de ſummo bono, ſummoque malo ſententias. Tuſculanarum quæſtionum Liber *Primus* de contemnenda morte, *Secundus* de dolore tolerando. *Tertius* de ægritudine lenienda, *Quartus* de reliquis animi

mi perturbationibus, *Quintus*, quod virtus ad beate vivendum se ipsa sit contenta, agit. De Legibus libri tres ad civilem prudentiam referri possunt. De Officiis item tres ad Jurisprudentiam naturalem. Quot vero pulcherrima ad omne honestatis genus continent, Cato Major, seu de senectute, Lælius seu de amicitia, & Stoicorum Paradoxa: nec ille omittendus est cui titulus *Hortensius*, sive de Philosophis, teste D. Augustino, qui se illi debere fatebatur prima mentis melioris semina. Plutarchus inter Romanos Philosophos, quamquam Græce scripserit, numeratur: cujus Ethice continetur in Moralibus, & in ratione vitæ parallelæ.

Quæ de Morali Philosophia in universum spectata retulimus, de juris prudentia naturali dicta potissimum intelligimus. Cum vero juris naturalis principia facile cuivis ratione prædito innotescant, immo, ut loquitur D. Paulus, omnium cordibus inscripta sint, potuerunt homines aliqui ingenio excellenti ea diligenter observare, & alios docere. Nonnulli igitur extiterunt eorum, quos nominavimus, qui juris naturalis præcepta, & sedulo examinarunt, & auditoribus tradiderunt. Sed ipsi tamen tumore animi errarunt in multis, ut Lactantius ait in libris Divinarum institut. Commune apud hos scriptores juris naturæ vocabulum officiorum titulo περὶ Καθηκόντων exprimebatur. At vero τὸ Καθῆκοντος nomen aliquando apud ipsos solas actiones honestas, aliquando etiam decoras, immo etiam utiles, ac nostræ conservationi inservientes indicabat. Hoc autem ex singulorum peculiari systemate est dignoscendum, ut certum ferri judicium possit. Sic apud Theodorum illum Atheum non aliud officii nomen significabat, quam corporis voluptatem. Idem apud Pirrhonios, seu Scepticos, ni-

nihil discriminis inter honestum, ac turpe agnoscentes, idem apud quosdam Academicos officii nomen obtinebat.

Epicurei vero officia non nisi utilitate metiebantur: reliqui contra cum gravissima incommoda reputarent, quæ ex prædictorum sententiis traherentur, in eam ingressi sunt opinionem, esse quædam per se turpia, aut honesta citra omnem ad quamcunque legem respectum.

CAPUT III.

De Christianis, & SS. Patribus.

POst adventum Christi, discussis magna ex parte ignorantiæ tenebris lumine Fidei, factum est, ut e veterum Ethnicorum documentis quam plurima absona dignoscerentur, & cum hominis fine non convenientia; plurima item ad hominis felicitatem consequendam necessaria. Rursus explicatis per firmiorem sermonem Revelationis hominum officiis, moralis illa nuda, ac naturalis Philosophia non in pristino stetit necessitatis, utilitatisque gradu. Quare & primorum Ecclesiæ Sæculorum Patres, ubi de moribus, eorumque honestate sermonem instituebant, plura e Philosophiæ Moralis hauriebant fontibus; & Scholastici etiam de naturali lege, atque honestatis principiis differentes, complura e divinæ revelationis dogmatibus acceperunt. Quo quidem fiebat, ut Christianorum flagitia, propositis vel ex Ethicæ argumentis, acerbius exagitarentur; & veterum Philosophorum errores circa morum principia ad trutinam Divinæ vocis revocati certius detegerentur. Audiamus Franciscum Suarezium Lib. 1. de Legibus cap. 3. *Est adver-*

vertendum, Philosophos non agnovisse supernaturalem hominum finem, sed solum de hujus vitæ aliquali felicitate, vel potius convenienti statu ad illam in pace, & justitia transigendam tractasse, & in ordine ad hunc finem de legibus considerasse, & ita naturalem legem solum ab humana, quam nos civilem apellare possumus, distinxisse. At vero cum fides doceat, homines ad finem supernaturalem vitæ futuræ per convenientia media in hac vita exequenda ordinari, recte Sacra Theologia infert, longe aliter esse necessariam hanc legem naturalem. Quare alteram ab altera prudentissime agentes non sejunxerunt.

CAPUT IV.

De Acatholicis, eorumque in Scriptores Catholicos calumniis.

HAnc vero sapientissimam juris naturalis investigandi rationem modis omnibus coarguere conati sunt Acatholici. Hinc horrenda sunt, quæ vomunt contra Scholasticos Scriptores, non alia sane de causa, nisi quia juri naturali luculentius explicando nonnulla ex Sacris litteris deprompserunt. Joannes Franciscus Buddeus in Isagoge Historiæ Theologicæ Lib. 1. cap. 4. ait: *Scholastici Doctores itidem lumen rationis, & omnino Philosophiam Aristotelicam cum lumine Revelationis conjunxerunt, turpiter ita cuncta inter se miscentes, & variis erroribus jurisprudentiam Divinam contaminarunt.* Quasi vero citra lumen Revelationis possent ex solo rationis lumine certa omnia derivari. Similia habet Puffendorfius in Præfatione Operis de jure Naturæ, & Gentium. Et in specimine controversiarum cap. 1. *Illi Doctores, ait, qui in Episcopi Romani verba jurarunt, queis omnia ad potentiam, & quæstum Sacerdotum ver-*

tere

tere labor est. (Quanto livore scatent dicta hæc Puffendorfii) *leginaturali, & universæ de moribus doctrinæ magnam caliginem offudere.* Unde vero tanta caligo? nonnisi quia Catholici legis naturalis principia ad solidissima Sacrarum Litterarum lumina revocant. Et idcirco Scriptores Catholicos versari in Regno tenebrarum affirmat sæpe Puffendorfius. Mirum est, quot injuriis cumulet Scholasticos primæ notæ scriptores, Sanctum Thomam, Vasquium, Valentiam, Conimbricenses &c. Eorum Doctrinam *appellat frivolæ subtilitatis speculationibus adornatam, scientiam prorsus inanem, astutissimo consilio nutritam, ad otiosa ingenia vanis disputationibus distinenda.*

Nec dissimilia sunt, quæ cæteri fere juris Naturæ scriptores Hetorodoxi de Catholicis auctoribus impudentissime scribunt, quæ non sine nausea legi possunt. Christianus Thomasius in Hist. Juris Naturalis cap. 4. eadem garrit: *In his, ait, omnibus commentariis tam super sententias Lombardi, quam super summam Sancti Thomæ frustra quæres Doctrinas utiles, & a sana ratione profectas; sed omnia repleta sunt authoritatibus, subtilitatibus, inanitatibus.* & cap. 5. *Itaque initio Sæculi* 18. *Doctrina de virtutibus, & vitiis, sive de differentia justi, & injusti, boni, & mali, de jure Naturæ &c. tam apud Pontificios, quam apud Evangelicos miserrimo, & pene incurabili morbo laborabat. Scholastici Pontificii in Libris, qui titulis de Justitia, & Jure, vel finibus insigniebantur, talia dogmata insinuabant animis discentium, quæ solum inserviebant incremento Papatus, & Clericatus, & supprimebant auctoritatem Principum, & Ordinum Politicorum, & Laicorum. Præterea diversissimas res inter se miscebant, jura Naturæ, Gentium, Mosaica, Judaica, Græca, Romana, Imperialia, Pontificia, colligendo videlicet ex istis, quidquid inde peti poterat ad scopum modo memoratum.* At qui publice circumferuntur Catholicorum sub his titulis libri, quam enormiter

men-

mentiatur Thomasius, demonstrant. Joannes Franciscus Buddeus in Historia juris Naturalis §. 12. de Scriptoribus nostris ita scribit: *Subtili, & spinoso dicendi genere utuntur: quæ forte propria illorum hominum laus est. Sine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo, aut lubrico fundamento, quæ docent, superstruunt, Divina, humanaque jura miscent, rationum momenta aut plane non, aut jejuna quandoque, & ridicula afferunt.* Hæc Buddeus impudentissime.

CAPUT V.

De Acatholicorum in Sanctos PP. conviciis.

VErumtamen ferenda esset eorum audacia, si in Scholasticos tantum mendacia conflarent. Sed quæ passim evomunt in Sanctos Patres convicia vix credi possunt, unum aut alterum commemorabo. Quid enim turbam insanientem in scenam adducam? Primum sibi locum vindicat Joannes Barbeyracius, cujus in Sanctos Patres animi furor in Præfatione ad versionem Gallicam Puffendorfii incredibiliter erupit. Neque enim unum, aut alterum carpit, sed a primis Ecclesiæ sæculis ad Scholasticorum tempora plerosque SS. Patres auctoritate præcipuos notat, & quasi juris Naturæ ignaros pariter irridet. Clementem Alexandrinum secundo sæculo exeunte qui vixit, idcirco reprehendendum existimat, quod regulas vitæ *nimis severas, rigidasque, & ab hodierna vitæ consuetudine alienas præscribit*. In Tertulliani Libris etiam ante lapsum scriptis quærit, quod accuset, illum videlicet nimis rigide censuisse. *Qui improborum facinora promovent, aut qui quacunque ratione ad malum concurrunt, peccare.* Ubi cum Dupinio putat, non

eſſe principium hoc extendendum adeo, ut vult Tertullianus.

At in utriuſque hujus Patris cenſura Barbeyracius ipſe reprehenditur a Joanne Franciſco Buddeo. Plura ait Barbeyracius ſe deſiderare in Cypriano, præeunte Joanne Clerico, præſertim modum in laudanda continentia, extollendo Martyrio, commendandis eleemoſinis, & quod nimis auctoritatem Epiſcoporum extulerit. Lactantio tribuit hanc ſententiam, *hominem probum nec militare debere, nec commerciorum cauſa peregrinas petere oras*: Cum revera Lactantii Lib. 5. de juſtitia cap. 18. verba hæc ſint: *Cur enim* (homo vere juſtus) *naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſufficit ſua?* Quibus verbis indicat, non dari juſto neceſſitatem ea faciendi, non vero prohibitum eſſe juſto ea facere. At Barbeyracius ingenio ſuo ac libidini SS. Patres carpiendi facile indulget. Nazianzenum Gregorium ſuggillat, quod in hæreticos nimio zelo, nec modum ſervante, ſit invectus. Sed hic ſuam cauſam agebat Barbeyracius, ideoque modum, ac limites juſtos tolerantiæ hæreticorum ignorabat. Quid vero in Joanne Chryſoſtomo? illud idem, quod Petrus Bælius verbo *Abimelech*, & *Sara*, homo quidem non tam facetus, quam ad ſcribendum procax, riſui exponit. In Ambroſio diſplicent ei laudes Cælibatus, ac Virginitatis. Hoc etiam diſplicet in Hieronymo. Auguſtini ſententias male explicat, ut occaſionem improbandi habeat, præſertim ubi de Abrahami, & Saræ conſenſu reſpectu Agar ait Lib. 16. de Civitate cap. 25. At Auguſtinus non ea docet, quæ objicit Barbeyracius. Verum hic omnium Patrum a Barbeyracio iniique congeſtos in doctrinam morum errores recenſere longum eſſet, ac tædio plenum: refellere vero calumnias, & mendacia prope ſuperfluum; cum id præſtiterit

rit Remigius Cellier *Apologie de la Morale des Peres &c.* Anno 1718. Interim tamen ipse sibi plaudit Barbeyracius, aitque sperare se, sæculum tandem venturum fore, in quo Patres, & eorum studiosi admiratores immodicam, qua fruuntur, existimationem sint amissuri. Et gaudio exultans gloriatur, *Legislatores Lutherum, & Calvinum non modo Religionem, sed moralis doctrinæ, juris naturalis scientiam redintegrasse.* At vero quis unquam credat Christum de Ecclesia sua adeo sollicitum, non Sanctorum Patrum, quorum mores fuerunt incorrupti, prædicatione atque scriptis; sed per Lutherum, & Calvinum homines quidem omni vitiorum genere coopertos, voluisse nova, inauditaque præcepta, ac leges promulgare? Sed neque in omnibus Calvinus ipse, aliique Lutheri assecla Barbeyracio arridenr. Dolet enim, eos crudele dogma de hæreticorum pœnis defendisse, atque *Tolerantissimum in Religionis negotio oppugnasse.*

Christianus Thomasius in Historia juris Naturæ capite tertio contra Ecclesiæ Patres invehitur, aitque post Christi Domini Ascensionem, & Apostolorum mortem extinctam Cristianam Ecclesiam jacuisse usque ad Lutherum. (O fatum miserabile.) Deinde addit. *Multi Protestantium Theologorum, in primis vero B. Lutherus noster, & alii de hoc abusu interpretationis ab Ecclesiæ Patribus commisso, conquesti sunt, & adhuc conqueruntur.* Tum Barbeyracium laudat, ac dicit eum clarissime ostendisse, quod *Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Cyprianus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Leo, Gregorius Magnus non solum in doctrina morali parum, aut nihil sciverint, sed & in explicatione Scripturæ Sacræ; aut, alia occasione ita ferente, varia noxia, & erronea, ac non solum luci Evangelii, sed & juri Naturæ*

adverſantia dogmata in animis auditorum ſuorum diſſeminaverint. His ſimilia habet Heineccius in elementis Hiſtoriæ Philoſoph. Capite quarto, ubi plures Catholicos Doctores, ait, *non modo faſtu Scholaſtico, & maleſana curioſitate, ſed & abſona dicendi, docendique ratione cordatioribus hodie riſum excitare merito. Hinc cognomina ridicula, dum Aleſius Magiſter irrefragabilis, Richardus de Mediavilla Auctoratus, Scotus Subtilis, Bonaventura Seraphicus, Thomas Aquinas Cherubicus, alii aliter vocati.*

CAPUT VI.

De recto juris Naturæ uſu.

CLament, licet, & crepent Acatholici, contra Patres, & Scholæ Doctores vociferentur, atque in nos cujuſcumque generis convicia jactent, ac maledicta: nos quidem malumus cum Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino, item Bonaventura, Thoma, Scoto, Suarezio indoctis accenſeri, quam cum Puffendorfio, Thomaſio, Barbeyracio, Heineccio inter ſummos homines adnumerari. Quinam vero ſit rectus *juris* naturalis addiſcendi modus, quinam optimus *hujus* moralis ſcientiæ uſus, explicare aggredior.

Erit autem rectus juris naturalis uſus, ſi recte definiantur lumini naturali, ſeu rectæ rationi limites. Rectus erit addiſcendæ hujus facultatis modus, ſi probati auctores conſulantur. Ad primum quod attinet, inficiari debet nemo, duplex in præſenti humanæ naturæ ſtatu eſſe lumen, quo homines ducti moraliter agant, & congruenter ipſorum felicitati agant; unum *naturale*, alterum *ſupernaturale*. Illud ratio naturalis dicitur, hoc Revelatio; illud naturæ debitum, hoc mere

gra-

gratuitum. Rursus nemo, nisi plane desipiat, in controversiam vocabit, lumen rationis minus esse, quam lumen Revelationis, atque adeo primum alteri subjici oportere: quod Paulus docet Epistola secunda ad Corinthios cap. 10. cum præcipit, *Omnem intellectum in captivitatem redigi in obsequium Christi*: & fatetur Buddeus in Isagoge Theologiæ lib. 1. cap. 4. *In Ethicæ*, inquit, *seu doctrinæ moralis Philosophicæ utilitate, & necessitate rite æstimanda ita incedendum, ne quidquam dignitati, ac præstantiæ ejus detrabamus, nec tamen rationis viribus apud eos, qui Christianorum nomine veniunt, in vitæ directione plus, quam decet, tribuamus. Minus enim lumen præferre majori fidei stolidum foret.* Ratio autem est, tum quia Revelationis lumen immediate a Deo procedens infallibiliter rei veritatem, atque honestatem ostendit: tum quia objecta etiam repræsentat, quæ lumini naturali impervia sunt, ac longe superiora. Hoc utique verum Ethnicis Philosophis obscurum fuit, ac fidei Divinæ unicè debemus. Præclarè Suarezius rem hanc explicavit Lib. 1. de Legibus Capite tertio *Circa legem*, inquit, *naturalem docet Theologia hominem secundum duplicem naturam, & duplex rationis lumen considerari posse.* Primò *secundum puram naturam, seu substantiam animæ rationalis, & consequentèr secundum rationis lumen illi connaturale.* Secundò *juxta naturam gratiæ desuper homini infusæ, & secundum Divinum, ac supernaturale lumen Fidei, per quod pro statu viæ regitur, & gubernatur. Et juxta hæc duo principia distingui duplicem legem naturalem; aliam simplicitèr naturalem respectu hominis, aliam quæ licèt supernaturalis sit respectu hominis (quia totus ordo gratiæ illi supernaturalis est) nihilominùs naturalis dici potest respectu gratiæ, quia etiam gratia habet suam propriam essentiam, & naturam, cui connaturale est lumen infusum, cui etiam connaturale est non solum dirigere homines ad rectam, & honestam, ac debitam operationem su-*

per-

pernaturalem, ſed etiam depellere tenebras, & errores circa ipſammet legem purè naturalem, & ſub altiori ratione præcipere ipſiuſmet legis naturalis obſervationem.

Atque hic eſt animadvertendum, lumen Revelationis eſſe abſolutè neceſſarium quoad ea officia, quæ reſpiciunt objecta, nonniſi per lumen Fidei cognita: quæ quidem officia hominem obligant ad æternam ſibi felicitatem comparandam. Atque hoc ne Heterodoxi quidem diffitentur. Idcirco legem etiam illam, quæ ſupernaturalis eſt reſpectu hominis, & amplectitur lumen Fidei, appellari poſſe connaturalem generi humano docet Suarezius loco citato, *Eo modo, quo naturale dicitur, quod cum natura concretum eſt, ſemperque in ea perſeveravit; quia lex gratiæ ſemper in humano genere fuit; & nunquam in hominibus univerſis, ſeu in tota Eccleſia lumen Fidei defuit, neque homines caruerunt unquam lege Divina ſupernaturali, ſine qua non potuiſſent in ſupernaturalem beatitudinem tendere. Unde quando diſtingui ſolent ſtatus hominum per leges, ſcilicet in ſtatum legis naturalis, ſcriptæ, vel gratiæ; in primo ſtatu intelligenda eſt tam lex ſolius naturæ, quàm lex connaturalis Gratiæ; ſeu lux Fidei. Non potuit enim mundus unquam carere omnino hac lege ſecundum ordinariam Providentiam, cum factores legis ſemper potuerint cum Divino auxilio juſtificari, ut ſumitur ex Paulo ad Rom. cap. 2. & 3. Atque ita etiam patet, quæ fuerit neceſſitas, & utilitas legis naturalis in hoc poſteriori ſenſu declaratæ; nimirum quia gratia, & fides ſemper fuit neceſſaria, & hæc lex eſt illi connaturalis. Iterì ut haberet homo legem, per cujus obſervantiam poſſet conſequi remiſſionem peccatorum, ac vitam æternam cum divino auxilio.* Illud verò obſcurius eſt, eſſe etiam neceſſarium lumen Fidei ad aliqua officia naturalis quidem legis propria, & rationem rectam non excedentia, minus tamen cognita ob originalis peccati tenebras, quibus & rerum veritas, & objecto-

jectorum honestas non in eo, in quo fuerant primum collocata, mentis lumine permanserunt. Atque hæc fuit causa, cur Ethnici Philosophi de hominis summo bono, in tam absonas, & inter se pugnantes opiniones abierint: inde etiam factum, ut de ipsius Dei natura tot esse opiniones quereretur Tullius de Natura Deorum Lib. 1. *ita fit*, inquit, *ut Deus, quem mente nos-scimus, atque in animi notione, tanquam in vestigio volumus reponere, nusquam prorsus appareat*. Inde etiam plurima legimus apud Historicos exempla Nationum, quibus Fidei lux nondum affulsit, viventium moribus perditissimis. Sic mulieres apud Indos igni se tradunt, defuncto marito: Iroquenses parentum senescentium carnibus vescuntur. Ægyptii nuptias cum sororibus, & cum matre etiam celebrabant. Apud Parthos nemo de Regia stirpe Arsacidum jus habebat ad regnum, nisi ex incestu filii cum matre natus esset. In Guienna insula compertum est maritum lecto decumbere, uxore pariente, & enixa; ipsamque puerperam tunc viro sine causa jacenti famulari. Hæc aliaque hujusmodi fieri novimus apud barbaros, Ethnicosque, quin ipsi animadvertant aliquid dedecere naturalem rationem, aut minus sibi convenire.

Ex dictis colligo falli Acatholicorum plerosque, existimantes posse integrum tradi jus Naturæ, & Gentium, & omnia hominis, & civis officia posse ritè explicari, nullo habito ad fidem respectu. In qua opinione prorsùs absurda est Puffendorfius, qui Lib. 2. de jure Nature, & Gentium cap. 3. ait *Ubi illud manifestum judicamus; etsi Divinæ Litteræ liquidiùs cognoscendo juri naturali plurimam lucem afferant, illud tamen etiam citra hoc adminiculum per vires rationis homini abs Creatore concessæ, & adhuc superstitis posse investigari, & solidè demonstrari.* Hoc enim jus per vires rationis adhuc superstitis pos-

se

ſe plene demonſtrari, falſum eſt citra Revelationis adminiculum. In eadem eſt cum Puffendorfio ſententia Barbeyracius; item Heineccius ita differens. *Cumque hoc jus complectatur leges per rectam rationem promulgatas, conſequitur, ut jus naturæ derivandum non ſit ex Sacris litteris.* Verum hoc jus naturæ non modo principia univerſalia commonſtrant, ſed multa etiam particularia. Ad hæc autèm neceſſarium eſt fidei lumen, ut depellantur offuſæ mentibus tenebræ, & errores, quemadmodum ex Suarezio obſervavimus.

Hinc arbitror merito irridendos auctores illos; qui tantoperè gloriantur, velle ſe jus naturæ omninò explicare citra lumen Revelationis. Eſſet enim conatus eorum prorſus inanis, ac periculoſus: ut qui oculorum infirmitatis conſcius judicare de objectis vellet ex oculorum tantummodo teſtimonio citra rationis adminiculum. Inutilis labor, & errori maxime obnoxius. Plures ex Acatholicis hoc identidem repetunt; hoc ſe feciſſe plenis buccis, ut vidimus, gloriantur.

Buddeus in Inſtitutionibus Theologiæ Moralis parte ſecunda ſic habet: *Nec tamen ideò improbandum illorum inſtitutum, qui ſeorſum juxta lumen rationis juriſprudentiam Divinam, ſeu naturalem tradunt. Quæ enim diſtincta ſunt, recte etiam diſtinctè traduntur, nec inter ſe ſunt confundenda. Juvat etiam cognoſcere quouſque ratio ſibi relicta hic progredi queat, ut eo rectius, quæ Revelationis vis ſit, & præſtantia, inde intelligatur. In negotiis præterea humanis ſæpe cum illis nobis res eſt, qui Revelationem non agnoſcunt, quique proinde non aliam agendorum normam, quàm rectam rationem admittunt. Deniquè per rationem, quoad humana præſertim negotia, multa ſpecialiùs poſſunt inveſtigari, ac determinari, cum generalia ſaltem ſint, quæ biſce Revelatio tradit, ut reliqua, quibus idem evinci poteſt, taceam.* Hæc autem Buddei ratiocinatio futilis eſt.

Quam-

Quamvis enim distincta sint rationis lumen, ac lumen Fidei, nec idcircò confundenda; illud tamen utpotè infirmum ab hoc debet adjuvari, quare tradi non debet seperatim. Deinde verum quidem est, aliquid esse, cognoscere quò rationis lumen, originis labe debilitatum, & quibusdam quasi nebulis circumfusum, pertingat; sed & hujusmodi cognitionem sine fructu esse, & ad negotia periculosam, non minus est verum.

Quid autem facto opus sit, quando cum iis, qui Revelationem non agnoscunt, sit agendum, dicam inferiùs. Nullo tamen pacto probandum est illorum institutum, qui solo freti rationis lumine naturali cum hujusmodi hominibus velint res agere, & ad honesta eos pertrahere. Tandem quod Revelatio generalia ostendat, ratio quædam specialiora, ex eo fit, ut lumen utrumque in consilium debeant advocari, nec tradi seorsùm.

Rem hanc eggregiè in veteribus Philosophis observat Lactantius Lib. 5. de justitia cap. 18. ubi videtur Acatholicorum objectiones diluere. *Plato*, inquit, & *Aristoteles honesta quidem voluntate justitiam defendere cupierunt, effecissentque aliquid, si conatus eorum bonos, si eloquentiam, si virtutem ingenii Divinarum quoque rerum doctrina juvissent. Itaque opus illorum inane, atque inutile jacuit; nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscripto viveret, quia fundamentum a Cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certius sit, necesse est, quos Deus docuit.* Ad Lactantij mentem scribebat Leibnitius, quantumvis Acatholicus, in Epistola ad Molanum adversus Puffendorfium. *Dignè de jure Philosophanti non tantum humanæ tranquilitatis, sed etiam Divinæ amicitiæ ratio habeatur, cujus possessio duraturam nobis felicitatem spondet. Non nobis tantum nati sumus, sed partem nostri sibi alii*

vindicant, Deus totum. Et in Præfatione Codicis juris Gentium: *Rectè a viris doctis, ait, inter desiderata relatum est jus Naturæ, & Gentium traditum secundum disciplinam Christianorum, id est ex Christi documentis περὶ Ἀνώτερα hoc est, quæ sunt supra nos, sublimia, Divina sapientium*. Itaque Revelationis lumen regulas juris naturæ, bonæque moralitatis proponit, quas generis humani corrupti mores, & Philosophorum Ethnicorum cæcutientes animi nec satis agnoverunt, nec libentèr amplexi sunt. Quapropter colligi debet, adjuvari ex Revelatione rationem ad jura sua dignoscenda. Revelationis enim lumen omni ex parte Divinum, quod ad mores attinet, vitæque rationem, nihil ostendit, quod simul suum non esse putet naturalis ratio, ubi intento studio animadvertit, ac maturè considerat. Idcircò a nonnullis sapientibus viris dictum legimus, dogmata Evangelij, quò ad mores, unà cum Moralis Philosophiæ, veræ scilicet ac bonæ, principijs esse veluti instaurationem moralium dogmatum, quæ sunt in anima rationali a Deo impressa, & inscripta huc aptando illud Tertulliani epiphonema: *O anima hominis quàm es naturaliter Christiana*. Reddit præterea Fidei lumen faciliorem præceptorum naturalium usum ex nova præmiorum, pœnarumque propositione, atque ex gratuita Divinorum auxiliorum largitione. Habet autem in se anima intimam ad servanda præsertìm generalia quædam præcepta obligationem sine Revelatione, ut habet Apostolus ad Rom. *Gentes, quæ legem (scriptam) non habent, naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt*: & dari ignorantiam circa prima moralitatis, & legis naturalis principia in mente integra probari non potest.

Quare Christiano Philosopho ita erit in jure naturali, rectæque rationis principiis procedendum. Quæ lu-

lumen naturale, seu recta ratio, citra quodlibet præjudicium, sui juris esse repræsentat, erunt maturè cum iis, quæ ex Fidei lumine accepimus, conferenda. Cumque sciamus, utrumque lumen veluti in idem tendere, seu objectorum veritatem, honestatemque manifestare, prudenter inferimus, quæ infallibili Revelationis testimonio comprobantur, vera esse; falsa verò, si Fidei testimonio contraria sint. Neque verò id affirmo, assumendum Fidei dogma quasi principium, unde altera rejici, altera probari debeat opinio. Hoc enim esset non Philosophum agere, sed actum fidei exercere. Illud autem pronuntio, Fidei dogma esse illi debere instar doctissimi, solertissimique Monitoris, a quo certior fiat erroris admissi in casu aliquo peculiari, ut iterùm, atque accuratiùs ratiocinationem instituat, donec lumine ipso naturali, ubi lapsus sit, invenire possit. Quemadmodùm in Analysi fit, si fortè, errore, vel in prima positione, vel in decursu operis admisso, deveniatur ad æquationem, vel impossibilem, vel certo falsam; tota, ut notant Analytici, repeti praxis, ac veluti resolvi debet, singulique animadvertendi numeri, eorumque signa, ut erroris veluti principium detegatur. Hoc ubi aget in re morali, atque in juris Naturæ principijs, & officiis morum Philosophus, modum aptissimum, rationemque firmissimam sibi conciliabit ad suadendum Ethnicis quibuscumque, Revelationes præfractè negantibus, certissima morum dogmata.

CAPUT VII.

De recta addiſcendi juris naturæ ratione.

JUſtos poſuimus lumini naturali fines. Supereſt, ut addiſcendæ hujus facultatis rectus modus propo-natur. Is profectò erit, ſi probatæ Fidei conſu-lantur auctores.

Sanè vix animum poſſum continere, cum in Catholicorum manibus magno plauſu exceptos verſari conſpicio tot Heterodoxorum libros, qui revera ſi eſſent a Catholicorum aliquo conſcripti, vix oculos ad ſe eruditorum pertraherent. Confuſa ſcribendi methodus, barbara latini ſermonis conſtructio, exigua, eaque obſoleta bonæ doctrinæ copia, non eſt, cur tantos excitet græculorum plaudentium rumores. Dicam planè quod ſentio, & mecum una reputant, quicumque ſolida veræ Sapientiæ, omniſque ſcientiæ jecere fundamenta, & inſipientium voces ſpernunt, unus eſt ijs auctoribus plerumque tantarum laudum titulus, diverſa nimirum a noſtra Religio: qui titulus cauſa eſſe deberet, ut iſtiuſmodi libri a ſtudioſorum præſertim manibus excuterentur. At dicet aliquis, liber de jure naturæ agit, non de Religione: Quid tum? Grotius de jure Belli ſcripſit, & tamen Puffendorfius Lutheranus Religionis cauſa verebatur, ne apud ſuos Grotius legeretur. Sic in Epiſtola ad Lectorem in prima ſui Operis editione: *Non exiguam*, ait, *nobiliſſimo operi* (Grotii) *labem aſpergunt, queis paſſim a receptis Orthodoxæ Eccleſiæ* (orthodoxam vocat Lutheranam Synagogam homo Lutheranus) *ſententiis diverſus abit, & per iſthæc etiam verè, atque utilitèr dictis auctoritas detrabitur.*

Re-

Reponet hìc aliquis, errores in auctoribus Acatholicis, vel nullos esse, vel cuique Catholicorum in oculos incurrere.

Respondeo, & plures in illis errores esse, & cuique Catholicorum observatu difficilimos, nisi fortè agnoscant sacrarum facultatum præsidio, quò tandem colliment. Quotus autem quisque ex iis, qui Acatholicorum versant libros, Sacræ Theologiæ Divinisque litteris operam navavit? Exemplo sit, qui ancipiti planè consilio Puffendorfii opus de Jure Naturæ, & Gentium in Italicum sermonem versum repurgavit, auxit, illustravit, & Anno 1757. edidit. Hic sanè Tomo 2. lib. 3. cap. 4. repurgare debuerat illam Puffendorfii sententiam: *Ignorantia juris naturalis neminem adultæ ætatis excusat*, cum videatur illi similima, quam Alexander VIII. inter damnatas retulit: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Rursùs Tomi secundi Libri 4. cap. 2. Auctor Catholicus, qui illud opus Italice reddit, debuerat paulò cautiùs loqui circa obligationem ortam ex jure jurando per metum injustum extorto. Divus Thomas profectò secunda secundæ quæst. 89. Artic. 7. ad 3. ait: *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur: Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit*. Et adeò fundatam in jure Naturæ obligationem istam putavit Angelicus Doctor, ut deinde subdiderit.

Ro-

Romani Pontifices ab hujuſmodi juramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes, hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi obligationem ex juſta cauſa relaxantes. Auctor vero Italus Puffendorfium corrigens hanc etiam admiſit Puffendorfii ſententiam: *Non minus obligatus eſt ad reſtituendum, qui vi coactus promiſſum fecit, cui juramentum acceſſit, quàm ſi ab injurato id foret profectum.* Et hanc præterea: *Momentanea ſolutione juramentum defungi poſſe, ut ſtatìm, vel per ſe, vel in ſubſidium vocato Magiſtratu datum recuperare queat, eſt ſanè inanis religioſitas; cum perindè ſit non ſolvere, & ſolutum confeſtìm recuperare.*

At contrarium decernitur jure Canonico Capit. *Si verò*, & Capit. *verùm de Jurejurando*. Plura fortaſſe eſſent in eo libro adnotanda. Sed hæc duo, quæ ſe mihi eum legenti obtulerunt, ſatis probant, quàm difficile ſit ſine Theologiæ ſtudio Hæreticorum errores animadvertere, & emendare. Quòd ſi vera nonnulla ab his auctoribus traduntur, ea a noſtris auctoribus ipſi acceperunt: quæ de ſuo addiderunt, falſa plerumquè convincuntur.

R. P. CONSTANTINI SWIĘCICKI
O. M. OBSERVANTIUM THEOLOGI.
DE ORIGINE,
ET PROGRESSU
JURIS PUBLICI;
TÙM NATURÆ, TÙM GENTIUM.
DISQUISITIO HISTORICA.

CAPUT PRIMUM.

Creatore, ſummoque Legislatore Deo Optimo Maximo prima *eſt juris omnis, juriſdictionis*, ac legum origo. Non enim eſt *poteſtas*, niſi a Deo, vel immediatè, vel mediatè; Qui cum primus Adamo legem impoſuerit, ſimùl dedit eidem poteſtatem legislativam ſuis poſteris communicandam. Indè Patriarchæ omnes Legislatores fuerunt, inter quos Moyſes præcipuus fuit: Indè poteſtas quoque ipſo Naturæ, & Gentium jure in Monarchas, Reges, & Magiſtratus extenſa, ſine qua humana ſocietas conſtare non poſſet. Cum verò Deus Adamum condidit, legem ei dedit naturalem,

&

& positivam. Hæc fuit lex vetans, *ne comederet lignum scientiæ boni, & mali* : עֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע illa, *unum cole Deum* : עֲבוֹדַת אֵל אֶחָד, *quod tibi non vis, alteri ne feceris* ; וְאָהַבְתָּ לְרֵעֲךָ כָּמוֹךָ, & aliæ. Hinc lex dividitur in naturalem, & positivam. Naturalis definitur a D. Thoma in quarto Sententiarum distinct. 33. Artic. 1. *Conceptio naturæ indita ad operandum convenientèr*. Lex positiva ex eodem *S.* Doctore in prima secundæ quæst. 91. articulo quarto : *Est ordinatio rationis ad commune bonum, ab habente potestatem promulgata*. Rursùs dividitur in Divinam, & humanam. Divina est partim vetus, in Testamento veteri, partim nova, in Testamento novo a Deo tradita. Humana, hoc est ab hominibus constituta, vel est communis Gentibus, ita ut officia Gentium erga Gentes ex naturali ratione, communique consensu ordinet ; vel est peculiaris alicui Reipublicæ, & cùm posita est a potestate politica, dicitur civilis, cùm ab Ecclesiastica, dicitur Canonica.

Cœperunt igitur ab exordio mundi, præter legem naturalem, esse leges positivæ, ut ex Sacris Litteris intelligimus. Cum autem leges positivæ ordinentur ad legem naturalem, firmius observandam, & ad societatem hominum continendam, quæri potest primò: quænam politica vivendi forma viguerit ante Diluvium.

In qua quæstione probabilius existimo, incolas mundi ante Diluvium, ferè ad nostri temporis normam, pagos, Castella, Urbes habuisse, in quibus essent Monarchiæ, Aristocratiæ, Democratiæ, aliæque regiminis formæ non minùs perfectæ, quàm præsentes. Nàm de Urbe Henochia a Caino condita id certum est. Immo teste D. Ambrosio Lib. 2 de Cain, & Abel cap. 10. *Urbes condidit plures Cainus, multorumque Princeps*

ac Dominus plurimos annos impunè vixit. Et aquæ Diluvii, ut Philo testatur in vita Moysis, *Civitates cunctas in campestribus regionibus sitas inundarunt, atque subverterunt; quæ autem in editioribus locis habitæ sunt, continuati imbres, nec interdiù, nec noctù intermissi, funditus subruerunt*. Accedit, & ratio. Nàm incredibile est, Antediluvianos omnes fuisse stupidos, bardos, incultos, barbaros; cum per novem Sæcula Adam, & alii subindè Patriarchæ, præclari adeò præceptores illis convixerint, ac terræ promovenda cultura haud dubiè suaserit rerum divisionem, quæ facta fuerit Adami arbitrio, vel sorte, aut alio modo nobis incognito: hinc pagi, & Urbes ad propria tuenda, variæque formæ regiminis necessariæ. Nec illis defuit mercatura, sicut & nautica. Nam cum non omnis ferret omnia tellus, necesse erat, ex una vehi in aliam regionem, quæ huic superflua, illi commoda, atque opportuna essent. Sed nec mechanicis artibus carere, uti nec liberalibus disciplinis. Agricultura, & pastoritia ex eo colligitur, quod Cain dicatur agricola, Abel pastor ovium, & Jabel pater eorum, qui habitaverunt in tentoriis pastoritiis. Ferraria, & metallifera significatur ex eo, quod Tubalcain dicatur malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri. Nec Ars bellica, quam tanti faciunt mortales miseri, & in se ipsos ingeniosè crudeles, non defuisse putanda est in Gentibus illis in vitia prolapsis, præsertìm verò inter Gigantes antediluvianos, quos potentes a Sæculo, & viros famosos appellat Moyses, & S Augustin. *Scientes bellum*, applicans illis epithetum istud Prophetæ Baruch. Musica colligitur ex eo, quod dicatur, Jubal pater canentium Cithara, & Organo.

Scientiam aliquam Theologicam fuisse illis tempo-

ribus inde conſtat, quod Enos dicatur cœpiſſe invocare nomen Domini. Ut paucis multa complectar, niſi dicere velimus antediluvianos Adami poſteros meros fungos fuiſſe, dicamus neceſſe eſt, multos ex illis in mechanicis artibus fuiſſe verſatos, multos in liberalibus diſciplinis, etſi non in omnibus Profectò per ſæcula quindecim, quæ a Diluvio ad Romam conditam interceſſerunt, homines non ita vivaces, ac longævi fuerunt, ut ante Diluvium, & quamvis primorum Patriarcharum magiſterio deſtituti, uſi ſunt tamen pœnè omnibus artibus, ac diſciplinis; cum Orbem terrarum mercatura, & ut multi opinantur, navigationibus perluſtrarint, repleverint urbibus, legibus inſtituerint. Quis porrò Antediluvianis hæc omnia negabit, qui per ſeptemdecim ferè Sæcula *vividiore* ingenio, longiore experientia, potioribus naturæ viribus terram incoluerunt?

CAPUT II.

De politica vivendi forma poſt Diluvium uſque ad legem ſcriptam.

HOmines octo a Diluvio ſervati Naturæ leges hominibus, quòs poſt Diluvium genuerunt, quaſi per manus traditas commendarunt; morum normam, cultumque Religionis ad poſteros propagarunt At ſicut ante Diluvium progenies gemina Adami, Cain, & Seth, maledictionem, & benedictionem proſeminavit in poſteros, ita poſt Diluvium a Chami progenie, quam Noe maledixit, & Semi progenie, quam benedixit, eſt factum. Semi Soboles a Noe benedicta, inhæſit preſſiùs Naturæ legibus, verique Numinis cultui. Hanc ſapientiam exemplis ma-

magis, quam scriptis regulis, per institutionem domesticam derivavit, ac posteris tradidit, ita prorsus, ut populum Dei constitueret, qui ab Hebero Hebræorum vocabulo a cœteris se discrevit. Inde nati sunt Abraham, cœterique Patriarchæ, pietate inclyti, qui legem Naturæ in statu integro conservarunt. Deus autem pactum quoddam singulare pepigit cum Abrahamo per signum exteriùs fidei in Messiam venturum, cum ante illum fuisset interiùs, hoc est per Circumcisionem ritu solemni peragendam. Contra verò Chami progenies, a Noe maledicta, degeneravit a legum naturalium semita, & per illuviem scelerum propagatam in suos, rationis lumen pœnè extinxit. Hinc ambitio ædificantium turrim Babel, *ut celebrarent nomen suum, antequam dividerentur in universas terras*. Hinc tyrannis in Nembroto, idololatria in Nino, infanda luxuria in Sodomitis. Hinc bella, clades &c.

Præ cœteris vitiis idololatriæ scelus orbem ferè corrupit universum. Illius origo a SS. Patribus Ambrosio, Hieronymo, Cyrillo, & aliis Nembroto adscribitur, seu Belo, viro superbo, & arroganti, qui homines induxit, ut ignem, & solem colerent, quasi Deum: quem errorem Chaldæi postea secuti sunt. Idololatriam in statuis Nino tribuunt scriptores antiquì. Primus enim Ninus Beli patris idolum auctoritate publica statuit reorum asylum. Causas verò idololatriæ varias assignat Salomon Libro Sapientiæ Capite 14. Prima *supervacuitas*, seu vanissima ambitio dicitur. Secunda furiosus amor in defunctos: *acerbo luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem &c.* Tertia, *nimius amor, & adulatio constituit inter servos suos Sacra, & Sacrificia; tyranorum imperio colebantur figmenta, & hos, quos palàm homines honorare non poterant, propter hoc,*

quòd longè abessent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui aberat, tamquam præsentem colerent sua solicitudine. Quarta, *fabrica imaginum ac statuarum: Provexit autèm ad horum culturam, & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia &c.* Quinta, ignorantia Dei, & fraus Dæmonum: *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt. Interveniente tempore convalescente iniqua consuetudine hic error, tamquàm lex, custoditus est.*

CAPUT III.

De Noachidarum forma vivendi, & utrum Jus Naturale, ac Gentium coluerint.

NOachidæ ab Hebræis appellantur Gentes omnes ab Hebræa distinctæ; quibus præcepta Juris Naturalis erant observanda. Hæc revocantur ad septem negativa. Primum, *de cultu extraneo*, עֲבוֹדָה זָרָה, quo vetatur idololatria, & quodvis superstitionis, & sacrilegii genus. Secundum, *dè maledictione Nominis Sanctissimi* נְקֵבַת הַשֵּׁם, quod omnem blasphemiæ execrationem, seu profanationem Divini Nominis prohibet. Tertium, *de effusione sanguinis*, דָּמִים qua interdicitur quodvis homicidium. Quartum, *de revelatione turpitudinum*, גִּלּוּי עֲרָיוֹת quo concubitum cum matre, noverca, uxore aliena, sorore uterina, masculo, bestia solum vetari Hebræi putabant: sed falsò ut videbimus. Quintum, *de furto, & rapina*, גְּנֵיבָה Sextum *de judiciis forensibus, & obedientia civili.* דִּינִים Septimum, *de esu sanguinis*, אֵבֶר מִן הַחַי Joannes Seldenus juris consultus Angliæ celeberrimus ad hunc numerum septe-

ptenarium redegit omnia præcepta Juris Naturalis ex disciplina Hebræorum; *Primis*, inquit, *duobus præceptis monstrantur officia hominis erga Deum, reliquis quatuor indicantur officia hominis erga alios: & hæc sex præcepta ab ipsa Natura, & Creatore Deo dictata, veluti legem primordialem apellat*. Septimum revocat ad tempus Noe, quòd non solis Hebræis, sed cuncto generi humano impositum ait, Cap. 9. Geneseos: *Carnem cum sanguine non comedetis*. בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ Hos Canones, & quasi capita professionis Judæi exigebant a *proselytis Domicilii*, hoc est ab illis, quos a Gentibus venientes in Civitatem admittebant sine professione Judaismi. *Proselyta verò justitiæ*, circumcisione initiatos, non modò ad septem illa obligabant, sed etiam ad Mosaicam legem, ritusque Judaicos.

Hæc disciplina juris naturalis a Seldeno hausta ex Hebraicis fontibus est imperfecta, incerta, & manca, curiositati magis, quàm usui accommodata. Ut enim rectè Puffendorfius observat, non continet principium omnibus certum, ex quo Naturæ præcepta, vel evidentèr fluant, vel facili ratiocinatione colligi possint. Deindè hæc disciplina nil continet, nisi sensa Hebræorum plerumque erronea, exempli gratia fornicationem jure naturali licitam esse: qui est error damnatus.

Postremò septimum præceptum de esu sanguinis nullo modo pertinebat ad Gentes, ut colligitur ex Deuteronomii Capit. 14. *Quidquid morticinium est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da, ut comedat, aut vende ei, quia tu Sanctus populus Dei tui es.* Versio verò Hebraica dicit: לֹא תֹאכַל כָּל נְבֵלָה לַגֵּר אֲשֶׁר בִּשְׁעָרֶיךָ תִּתְּנֶנָּה וַאֲכָלָהּ אוֹ מָכוֹר לַנָּכְרִי כִּי עַם קָדוֹשׁ אַתָּה לַיי אֱלֹהֶיךָ. Accedit, quòd duo præcepta prima contineant cultum Dei tantummodò negativum, quamquàm ex primis

Na-

Naturæ principiis manifeſtum ſit, Deum poſitivo cultu eſſe colendum, atque amandum.

CAPUT IV.

De prima rerum diviſione, & dominiorum origine.

DUplex fertur communiter diviſio rerum. Prima, quæ quaſi dedit jus ad rem, facta eſt anno Mundi 1758 poſt Diluvium 132., quo tempore Phaleg vivebat, qui propterea ſic appellatur Geneſeos Capit. 10, *quod in diebus ſuis diviſa ſit terra.* Altera diviſio, quæ dedit jus in re, a Turris Babelicæ conſtructione repetenda eſt ad annum Mundi 1931. poſt Diluvium 275. ei cauſam dedit Linguarum confuſio.

Primæ ſaltem diviſionis auctorem Noe fuiſſe, Divino lumine adductum, res eſt explorata. Prima cauſa fuit haud dubiè immenſa multitudo Noachidarum, quæ circa molimina Turris Babelicæ in immenſum excreverat. Secunda, ut vitarentur diſſidia, quæ in prima rerum occupatione facilè extitiſſent. Tertia, ut cultui terræ conſuleretur. Nam ubi omnia ſunt communia, facilè ab omnibus negliguntur; ceſſat induſtria in agris, arboribuſque colendis, ac procurandis vitæ neceſſariis.

Diviſionem rerum Juris eſſe Naturalis nonnulli cenſent; quia natura illam exigit ad conſervandam felicitatem generis humani. Alii putant eſſe Juris Gentium; quia naturæ lege ſunt omnia communia; & licèt humana natura conſervari ſuam tranquillitatem, & quietem requirat, non tamen exigit per ſe, ut conſervetur hoc determinatè medio diviſionis, ſed per medium quodcumque determinandum conſenſu Gentium.

tium. Alii demùm existimant, res fuisse primum acquisitas occupatione, aliis videlicet alia occupantibus, ita tamen, ut nemini terra deesset, ex qua subacta, & exculta, ad usum vitæ unusquisque perciperet fructus suos.

Hæc occupatio violenta non erat; immo verò congruebat rerum communioni, quam Deus initio Naturæ innocenti attribuerat. Sed ubi discedere mortalibus placuit a communione primæva, facta est divisio, sicut de rebus in medio positis, prævio Gentium pacto, saltem præsumpto, sua cuivis assignata sit portio.

CAPUT V.

Quæ fuerit Imperiorum origo.

FUit erronea Donatistarum sententia, quam secutus est cum Anabaptistis Lutherus ipse, quantumvis horum inimicus; fuit, inquam, error inter Christianos, non licere imperia, eaque procedere ab irato in homines Deo; adeòque neminem posse tuta conscientia gerere Magistratum. Sed hæc doctrina confundit omnia, estque Reipublicæ perniciosa, cum foveat seditiones, inducatque Anarchiam exemplo Judæ Galilæi, tot cladium auctoris, qui dicebat, unum Deum, & Dominum esse, homines servos, non Dominos appellandos.

Falsa est quoquè Bodini sententia, putantis, regna omnia vi tyrannica coaluisse. Nàm Regna plura populorum consensu constituta sunt, uti Israeliticum: *Constitue nobis Regem*. 1. Reg. Cap 8. Quocirca licet imperiorum initium, quod in Nembroth communiter constituunt, tyrannicum fuerit, id respectu

im-

imperii eſt merè per accidens ; cum aliud ſit poteſtas, aliud abuſus poteſtatis.

Imperia ſunt juris Gentium , quia toti humano generi communia, & ex ipſis rerum naturis , primaque eorum conſtitutione oriunda . Hinc Ariſtoteles Lib. 1. Politicorum cap. 3. ait , *nihil eſſe tam aptum ad jus , & conditionem naturæ , quàm imperium* . Ac , teſte Tullio Libro de Legibus , *ſine illo nec Domus ulla , nec Civitas , nec genus hominum , nec Mundus ſtare poſſet* . Profectò , licèt in orbe novo , quem vocant , nihil ferè nobiſcum commune habeant illæ Gentes , quamdam tamen Reipublicæ ſervaſſe formam compertum eſt.

Reges Mexicani eligebantur, Peruani ſuccedebant. In iis etiam regionibus , quæ Regem non habent , ſui ſunt Duces, ac Magiſtratus.

CAPUT VI.

Quomodò Jus Naturæ , & Gentium , ex Lege Divina Scripta , & Hebræis tradita , ſit confirmatum , & illuſtratum . Itèm de Traditionibus Hebræorum.

JUs Naturale, & Gentium, etſi maximè ſit diſtinctum a jure Divino poſitivo , rectè tamen conſideratur in ordine ad jus Divinum , a quo magis , ac magis illuſtratur . Prima pars propoſitionis ex eo patet , quòd Jus Naturale ſpectat officia hominis, quatenùs homo eſt , non quatenùs eſt imbutus religione revelata : Nititurque principiis ad omnium captum accommodatis . Jus verò Divinum poſitivum eſt ex auctoritate Dei loquentis ; nec omnibus fuit revelatum , ſed uni Hebræorum nationi . Secunda pars

pro-

propositionis etiam probatur: Nam, Puffendorfio teste, per legem scriptam, librosque Divinos lex naturalis magnopere est illustrata, *sic ut vis ullum caput sit juris naturalis*, quod tactum non sit, ut ait citatus auctor de discip. juris naturæ cap. 1. Addit Kemerichius Puffendorfii *explanator*, *in Legibus scriptis, & per Moysen promulgatis contineri omnes regulas honesti, decori, & justi, quas & David in suis Psalmis eggregie illustravit: Salomon quoque variis Sapientiæ regulis in suis Proverbiis, & Ecclesiaste adauxerit, quin & Prophetæ oraculorum Divinorum interpretes in suis orationibus & explicarint, & inculcarint.* Subjungit *denique, inter multos Hebræorum, qui præcepta morum incorrupta tradiderint, fuisse Syracidem, & auctorem libri Sapientiæ.*

Præcepta Decalogi præcipue ad officium hominis pertinent, & jus naturæ explicant, atque confirmant. Exempli causa die Sabbati præscribitur cultus Dei externus in genere, primum lege naturali, quæ homines dirigit ad Majestatem Dei certis diebus recognoscendam externis actibus Religionis; estque hominum cordibus ab ipso Deo conditore inscripta; deinde lege Divina positiva, Divino Digito insculpta lapideis tabulis, populoque Israelitico per Moysen tradita: hæc ritus quosdam præscribebat in cultu adhibendo. Leges ergo Divinæ, quatenus naturales, incommutabiles sunt, & in utroque Testamento homines obligant. Positivæ ad Hebræos tantum pertinebant, & cum eorum Republica sublatæ una cum Testamento veteri per mortem Christi expirarunt.

Præter leges Divinas tum naturales, tum positivas, in Testamento veteri erant etiam variæ Traditiones Mosaicæ, & Pharisaicæ; illæ laudabiles, istæ vituperabiles. Præcipuæ inter Mosaicas erant, quod libri in Hebræo Canone contenti verè essent Divini;

quod femellis remedium aliquod eſſet contra peccatum originale, qualecumque tandem id fuerit, ſive fides parentum, ſive aliquod aliud, quod Sacrificia cruenta figuræ eſſent mortis Dominicæ; & ſic de aliis, quæ etſi non ſcripta, tamen tradita novimus. Inter Phariſaicas Traditiones erat lotio manuum ante, & inter comedendum, fuga publicanorum, ſuperſtitioſa obſervatio Sabbati; & ſic de aliis, quas ſæpè reprehenſas a Chriſto Domino legimus.

Religio naturalis quoad præcipua capita, quod nempe ſit Deus, quod unus, quod providus, puniens malos, & remunerans bonos, non modo per legem, ſeu religionem revelatam eſt confirmata, ſed etiam articulis pluribus explicata. Quod ſit Deus *infinite* bonus, habetur in Pſalmo 72. & 144. quod *ubique* præſens, Pſalmo 134. quod immutabilis Numerorum cap. 23., quod æternus, Pſalmo 89., quod omniſcius, 1. Regum cap. 2., quod omnipotens, Geneſis cap. 17. Myſterium etiam Santiſſimæ Trinitatis in veteri Teſtamento, non expreſſe quidem, ſed intelligentibus Hebraicæ linguæ ſufficienter eſt revelatum, Geneſis cap. 1. verſ. 1. & 26., Geneſis cap. 3. verſ. 22. Geneſis 11. verſ. 7. cap. 19. verſ. 24., & Pſalmo 66. verſ. 8. *Benedicat nos Deus Deus noſter Benedicat nos Deus* יְבָרְכֵנוּ אֱלֹהִים אֱלֹהֵינוּ יְבָרְכֵנוּ אֱלֹהִים. Multa quoque diſerte de Chriſto ſunt revelata. Illud Geneſis cap. 3. verſ. 15. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa*, vel ut in textu Hebraico, *ipſe conteret caput tuum;* וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ illud, inquam, oraculum eſt quaſi fons, unde manarunt omnes Dei promiſſiones, figuræ, & viſiones de Chriſti Paſſione, atque morte. Illæ autem promiſſiones leguntur paſſim in Libris Prophetarum, & in Pſalmis Davidicis ejuſdem Chriſti Divinitas alicubi

etiam

etiam significatur, ut in Psalmo 109. vers. 1. *Dixit Dominus Domino meo*, Vulgata enim Ebraica dicit: *Neum Jehove Ladoni szev limini*: נְאֻם יְיָ לַאדֹנִי שֵׁב לִימִינִי quem locum ipse Christus explicavit de sua Divinitate: Matthæi cap. 21. vers. 44. & clarius Isaia cap. 35. vers. 4. הִנֵּה הוּא יָבוֹא וְיוֹשִׁיעֲכֶם *Deus ipse veniet, & salvabit vos*. Porro in veteri Lege fidem in Christum, ut Redemptorem fuisse necessariam ad salutem, certum est, Augustino teste, Epistola 89. ad Hilarium, & Lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum capite septimo. Sanctus verò Hieronymus fuisse primum Adamum, qui in Christum crediderit, egregie probat Libro tertio commentariorum in Pauli Epistolam ad Ephesios.

CAPUT VII.

De juris naturalis conditione apud Gentiles tempore legis scriptæ, deque Morali Philosophia: item de moribus Judæorum.

STulta prudentia Philosophorum ita primas notiones, ac vera principia de officiis hominis depravavit, ut ratio justi & honesti parum cognita fuerit iis temporibus, si unum excipias, quod omnes probe tenebant, officium hominis consistere *in operatione ad finem*, cujus vera cognitio ad recte vivendum maxime facit, eo quod ex illo discamus, quid sit agendum, quid fugiendum, ut rectè docuit Aristoteles Lib. 1. Ethicorum Sed in fine potissimum desgnando in varias pugnantesque Philosophi abjere sententias. D. Augustinus Lib 9 de Civitate Dei cap. 7. testatur, Marcum Varronem eas curriosè investigantem, ad ducentas octoginta octo numerasse. Hinc variæ Sectæ Philosophorum. Tres tamen erant præ

congruentibus, ut Cicero testatur Lib. 1. & 3 de officiis, qui & ipse hoc opus egregium ad normam præcipuè Stoicorum conscripsit Sed, ut ait Apostolus ad Romanos cap 1., *cum cognoverint Deum, non tamen ut Deum glorificaverunt: obscuratum est insipiens cor eorum, traditique sunt in passiones ignominiæ.* Cicero ambitione, Seneca avaritia, Plato fœdis amoribus corruptus est. Aristoteles Hermiæ concubinæ aras extruxit, & honores Divinos adhibuit, ita perditè eam deperibat.

Ut de populo electo aliquid etiam, quamquam leges Naturæ per legem scriptam sint roboratæ, pars tamen potissima nationis Judaicæ assuetudine Gentium depravata est, sensimque dedidicit non modo præcepta Divina, ac positiva, sed ipsa etiam naturalia.

Constat id primo ex tot Prophetarum testimoniis, querelis, ac minis. Secundo ex decem Tribubus in fœdum Schisma, & idololatriam delapsis. Tertio ex tot pœnis captivitatum populi Judaici, ex ablato de Juda sceptro, ex jugo a Romanis imposito. Quarto ex Sacerdotio fœde corrupto; ex ipsa lege per Pharisaicas superstitiones adulterata.

CAPUT VIII.

Quid Lex Evangelica splendoris attullerit Juri Naturæ, quid jus civile, & Canonicum.

LEx Evangelica jus naturale idololatriæ tenebris propemodum extinctum sic illustravit, ut in multis etiam perfecerit. Matthæi cap 5. ita legimus: *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente? Ego autem dico vobis, Non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Rursus: Audistis, quia dictum est dili-*,

congruentibus, ut Cicero testatur Lib. 1. & 3 de officiis, qui & ipse hoc opus egregium ad normam præcipuè Stoicorum conscripsit Sed, ut ait Apostolus ad Romanos cap 1., *cum cognoverint Deum, non tamen ut Deum glorificaverunt: obscuratum est insipiens cor eorum, traditique sunt in passiones ignominiæ.* Cicero ambitione, Seneca avaritia, Plato fœdis amoribus corruptus est. Aristoteles Hermiæ concubinæ aras extruxit, & honores Divinos adhibuit, ita perditè eam deperibat.

Ut de populo electo aliquid etiam, quamquam leges Naturæ per legem scriptam sint roboratæ, pars tamen potissima nationis Judaicæ assuetudine Gentium depravata est, sensimque dedidicit non modo præcepta Divina, ac positiva, sed ipsa etiam naturalia.

Constat id primo ex tot Prophetarum testimoniis, querelis, ac minis. Secundo ex decem Tribubus in fœdum Schisma, & idololatriam delapsis. Tertio ex tot pœnis captivitatum populi Judaici, ex ablato de Juda sceptro, ex jugo a Romanis imposito. Quarto ex Sacerdotio fœde corrupto; ex ipsa lege per Pharisaicas superstitiones adulterata.

CAPUT VIII.

Quid Lex Evangelica splendoris attullerit Juri Naturæ, quid jus civile, & Canonicum.

LEx Evangelica jus naturale idololatriæ tenebris propemodum extinctum sic illustravit, ut in multis etiam perfecerit. Matthæi cap 5. ita legimus: *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente? Ego autem dico vobis, Non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Rursus: Audistis, quia dictum est dili-*,

diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos &c. Si salutaveritis fratres vestros tantum, nonne & Ethnici hoc faciunt? Vulgata verò Syriaca, dicit:



Jus etiam civile plurimum lucis juri naturæ attuliſſe fatentur ipſi Proteſtantes, in quibus Puffendorfius, *fatendum eſt*, inquit in Spicilegii controverſiarum §. 3., *quidquid adhuc Romanæ juriſprudentiæ ſupereſt, juri naturali plurimum lucis attuiliſſe, non ſolum quia iſti magnopere curæ fuiſſe apparet omnia ad rectam rationem, & æquitatem revocare, ſed etiam quia plurima ad pædiam, hoc eſt, diſciplinam juris naturalis ſpectantia, ab juriſconſultis Romanis luculenter fuere pertractata.*

Quod juri civili tribuunt, Canonico paſſim detrahunt Proteſtantes, immerito quidem Quippe hominis officia erga Deum, & proximum, ac ſeipſum per Sacros Canones valide confirmantur, ac perficiuntur.

Leges civiles, ait Juſtinianus Imperator Novella 83. *non dedignantur Sacros Canones imitari.* Novella 132. *Sacros Canones pro ſalute noſtrarum Animarum conditos, ac conſtitutos eſſe: plus ſtudii in obſervatione Canonum, quam*

in

in custodia legum civilium ponendum esse: Sacros Canones non minus, quam leges valere, etiam nostræ volunt Leges &c.

CAPUT IX.

Quid conferant ad disciplinam Juris Naturæ, & Gentium scripta quorumdam Protestantium, qui sunt celebriores, hoc est, Grotii, Hobbesii, Puffendorfii, Thomasii.

HUgo Grotius, genere nobilis, Batavus, egregius Philosophus, Jureconsultus, Poeta, & Philologus, cum in partes Arminianorum, qui in fœderatis Provinciis turbas excitarant, transiisset, in perpetuum carcerem, Antiarminiana prævalente factione, conjectus est. Unde ope conjugis elapsus in cista, librorum loco, in Galliam se contulit. Eum deinde Christina Svecorum Regina Legatione Gallica ornavit. Mortuus est anno 1645. Rostochii, cum Stocholmo in Belgium rediret. Inter multa, quæ scripsit, excellit Opus de Jure Belli, & Pacis. Causa illi scribendi fuit, primo *neglectus*, ut ipse ait, *justitiæ, quasi nihil injustum esset Regentibus, quod utile; id æquius, quod validius; neque Rempublicam regi sine injuria posse*. Secundo, *neglectus publicæ pacis, effræni bellandi licentia etiam penes Christianos dominante*. Proposuit autem sibi in hoc opere, primo ut Jus Naturæ colligeret ex principiis, quæ certa essent, Jus Gentium ex veterum Philosophorum, Nationumque consensu: secundo ut Jus Naturæ Gentiumque discerneret a Jure Civili: tertio ut Sacræ Scripturæ testimonia, Theologorum sententias, Historiæ monumenta, Jurisconsultorum responsa sumeret ad ea, quæ scripsit, confirmanda. Quamquam verò in

hoc

hoc opere Grotius magnum doctrinæ, & eruditionis ſpecimen dederit, tamen in multis a veritate aberravit, & ejus lectio eſt incautis periculoſa.

Thomas Hobbeſius Anglus in Libris *de cive*, ac *Leviathan* impie philoſophatur. Primo ſtatum naturalem in bello conſtituit, hoc eſt bellum contendit eſſe homini connaturale, idque ex jure omnium in omnia, & nocendi voluntate pariter ac facultate omnibus inſita argumentatur. Secundo docet, *voluntatem ſolius imperantis eſſe regulam boni, & mali, juſti, ac injuſti*. Horret animus ea percenſere, quæ ex illo principio flagitioſa, & impia deduxit: Primo Regulas boni, vel mali eſſe tantum civiles, nec quidquam juſtum, vel injuſtum fuiſſe, priuſquam aliqua Reipublicæ forma, hoc eſt dominatus, vel Regius, vel optimatum, vel populi induceretur: Secundo peccatum proprie dictum nihil eſſe aliud, quam legis civilis tranſgreſſionem, reliqua verò, quæ contra rectam rationem perpetrantur, eſſe dumtaxat *facta imprudentia*, non peccata. Tertio in Chriſti doctrina contineri conſilia, non præcepta, nec ſine Principis voluntate vim obligandi habere: ſolos Reges efficere, ut Sacra Scriptura ſit regula Fidei, ejuſdem ſolos interpretes eſſe Reges ac Principes, ita prorſus, ut ſumma ſit Religionis *Principum capeſſere jura, & parere imperio ſive in ſacris, ſive in profanis*: Quarto Omne regnum Dei eſſe politicum, & populum gubernari per Principes tamquam Dei Legatos. Quinto docet, *nihil injuſtum a Principe mandari poſſe, ejuſque poteſtatem eſſe iadefinitam*. Quo ex principio intulit impias concluſiones. Primo quidquid ſubditus agat mandato Principis, juſtum eſſe. Secundo Mandante Principe licere ſubdito, vel Chriſtum negare; invadere aliorum bona, vel uxores, non eſſe furtum, vel

adul-

adulterium, si Princeps id jubeat. Tertio docet, *a subditis deberi imperantibus obedientiam absolutam*. Hinc primò colligit, non posse peccare subditos suis Principibus obedientes. Secundo non posse Principes inferre subditis injuriam; illis licere etiam innocentes interficere, si cedat in eorum bonum mors innocentium. Quintò denique docet, *Ecclesiam esse indistinctam a civitate*: ex quo principio deduxit, Supremos Principes esse capita Ecclesiarum, quæ sunt in terris eorum Dominii, ejusque esse Religionem, cujus est regio.

Samuel Puffendorfius, Germanus, e Misniæ ignobili pago, Lipsiæ, Jenæ, & Lugduni Batavorum Theologum egit: Verùm Theologiæ Jus Naturale, atque Gentium antepositit, quod Heidelbergæ primùm, deinde Lundæ in Sveciæ nova Academia professus est. Edidit opus de Jure Naturæ, & Gentium, in quo multa reprobantur a Criticis ipsis Protestantibus, nedum Catholicis. Primùm, quod fundamentum Juris Naturæ, & Gentium in sola *socialitate* constituit. Hoc enim principium non est ita evidens, ut non aliquod possit evidentiùs reperiri: deindè non est adæquatum. Ex eo enim dumtaxat officia erga proximum, non verò erga Deum, atque se ipsum colligi possunt.

Erravit etiam Puffendorfius in ipso fine Juris Naturæ, quem sola hujus vitæ felicitate putavit esse definitum. Est quidem felicitas hujus vitæ finis hominis partialis; non tamen est adæquatus; cum præmium naturale homini tandem debeatur in alia vita. Est enim nota evidentèr alterius vitæ necessitas, in qua pœna nocentes, præmium aliquod maneat innocentes: alioqui pessimè consultum esset a Deo naturæ humanæ, si probi homines in hac vita miseriis afflicti nullum deindè virtutis præmium expectarent. Tunc

enim nulla eſſet obligatio Juris Naturæ ad honeſtum, & juſtum amplectendum.

Lapſus eſt quoque in objecto, quod materiale appellatur, Juris Naturæ, cum docuit, *quæ intra pectus latitant, nec foras prorumpunt*, ad Jus Naturæ non pertinere. Hinc ab eo utiliſſima pars Juris Naturæ neglecta eſt, quæ actiones interiores animi dirigit erga Deum. Hinc Leibnitio ipſo, quamvis acatholico auctore, teſtante, adæquatum ejus objectum in hujus vitæ felicitate, & Reipublicæ commodis Puffendorfius conſtituit, atque adeò religionem utilitati ſtatus eſſe accommodandam, & pro hujus inſtrumento habendam. Quæ omnia redolent Machiavelli impietatem.

Chriſtianus Thomaſius Saxo, dum Puffendorfium explicandum ſuſcepit, pejorem reddidit, & ejus errores ſuis erroribus cumulavit. Satis eſt legere concluſiones quadraginta octo, quas ex inſtitutionibus ſuis excerpſit, & publicè diſputandas propoſuit anno 1694. ad modum profeſſionis Fidei, in quibus præcipuæ ſunt, quæ ſequuntur. *Credo, quòd diſputationes de juſtitia commutativa, & diſtributiva, univerſali, & particulari, ſint grilli inutiles. Credo, quòd ex ratione demonſtrari non poſſit, Deum externo cultu eſſe proſequendum. Credo, quòd falſiloquio uti aliquandò liceat, immò præceptum ſit. Credo, quòd meris rationibus naturalibus non poſſit demonſtrari, omnem concubitum libidinoſum, etiam ad beſtialitatem qui pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium eſſe prohibitum. Credo, quòd polygamia, etiam virilis (hoc eſt unius fœminæ cum pluribus viris) mero Jure Naturæ non ſit interdicta. Credo, quòd nullus inceſtus Juri Naturæ repugnet.* Quocircà ad has Proteſtantium novitates, & non ſolùm cum Catholica, ſed etiam cum omni religione pugnantes, pro virili parte confutandos in hoc opere aggredimur.

R. P.

R. P. CONSTANTINI SWIĘCICKI
O. M. OBSERVANTIUM THEOLOGI.

PARS PRIMA
DE JURE NATURÆ, ET GENTIUM IN GENERE.

DISPUTATIO I.

De Moralitate actuum humanorum.

CAPUT PRIMUM.

De prima Moralitatis origine.

Uplex principium eſt, undè intima oritur moralitatis natura, ſcilicèt intellectus advertens, & voluntas liberè operans. Quid ſit, voluntatem libere operari, remota quavis neceſſitate, & coactione, explicabimus infra: quemadmodum clariùs exponemus, quid ſit, intellectum advertere, ad excludendam ignoran-

tiam Interìm verò ſciendum eſt, actum debere procedere ex perfecta deliberatione rationis, non ſolum quatenus poteſt unum objectum cum alio conferre in ratione delectabilis, vel alio modo convenientis naturæ; ſed etiam ſub ratione honeſti, vel inhoneſti: rurſùs, actum eſſe debere voluntarium. Si enim actus eſſe debet liber, neceſſe eſt, ut ſit voluntarius; quia intelligi non poteſt, porentiam, ex ſe indifferentem ad oppoſita, ad alteram partem determinari, niſi quia vult. Ergò neceſſe eſt, ut illa determinatio libera ſit voluntaria per ſe ipſam. Puffendorfius moralitatis originem excogitavit Omnem igitur motum phyſicum voluntatis humanæ ſine reſpectu ad legem eſſe putavit indifferentem in genere morum. *Ut plena*, inquit, *actio moralis fiat*, *huic motui phyſico* (*voluntatis humanæ*) *accedit qualitas quædam*, *ſeu affectio moralis*, *juxta quam actio illa bona*, *& mala in genere morum dicitur*; *quæ affectio reſultat ex congruentia*, *aut diſconvenientia ejus actionis cum norma morali*, *ſeu lege*. Hic ergo modus, & ratio tota moralitatis eſt reſpectus ad legem, ut opinatur Puffendorfius.

Sed refellitur. Reſpectus hujuſmodi ad legem de ſe non ſufficit ad actus moralitatem conſtituendam. Siquidèm ſi detur actus aliquis Phyſicus ſub reſpectu ad legem poſitus a voluntate, quæ tamen non ſit plenè libera eo genere libertatis, quo dicemus infrà, tunc actus ille non erit moralis. Ex eo enim voluntas non denominaretur, nec bona, nec mala, nec laude digna, nec vituperatione. Et, ſi Deus ad extra ageret ex neceſſitate, ut putavit Ariſtoteles, non diceretur moralitèr agere.

Secundò. Datur aliquandò moralitas actus, quin detur hujuſmodi reſpectus ad legem: undè clarè colligitur, hujuſmodi reſpectu non eſſe neceſſarium, &

in

in eo non consistere rationem moralitatis. Sic in Deo dantur actus morales, per excellentiam, hoc est in genere boni præstantissimi, quemadmodum datur libertas, & honestas; quin tamen detur, aut dari possit respectus ad legem. Deindè, si homo nullum haberet Superiorem, aut si a Superiore non gubernaretur per legem: nihilominùs operando sub advertentia, puta quod homicidium sit disconveniens naturæ, operaretur vel benè, vel malè: & tamen sine respectu ad legem. Præterea in præsenti providentia, posita lege, non ideò actus est moralis, quia regulatur per legem; sed potiùs e contrario, quia homo est moralitèr agens, & non habet voluntatem indefectibilem a bono; ideò indiget superioris lege, inclinante in bonum, & avertente a malo. Ergò esse regulabile per legem consequitur ad esse morale potiùs, quàm istud constituat. Et idcircò actus necessarius, & naturalis nulla lege dirigi potest. Accedit tandèm, quòd in hypothesi Puffendorfii moralitas æque actibus externis deberet tribui, ac internis; cum utrisque detur lex: quinimmò aliquandò actus interni a Lege respiciuntur non nisi propter actus externos, ut in lege non furandi, & dandi eleemosynam. Hoc autem nemò Philosophorum Moralium admittet; cum hominum mores, ut sic, per se primò a voluntate pendeant. Atque hæ quidem potissimæ sunt rationes, cur Puffendorfiii sententiam rejiciamus.

Solvuntur Objectiones Puffendorfii.

Objicit I. Nullam hìc esse consequentiam a Deo ad hominem.

Resp. Licèt, ubi de perfectionibus agitur, nulla sit consequentia a Deo ad hominem, ex eo videlicet,

quòd

æquam, ad quod volueris extende manum. Quæ verba perpendens D. Auguſt. Lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 12. *Ecce*, inquit, *apertiſſimè videmus expreſſum noſtræ libertatis arbitrium*. Huc etiam pertinent illa teſtimonia, in quibus tribuitur homini dominium ſuarum actionum. Geneſ. 4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Quem locum ad rem præſentem optimè declarat S. Proſper Lib. 2 de vocatione Gentium, cap. 4. Hinc etiam illud Eccleſiaſtici cap. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Non eſſet enim dignus laude, vel præmio, niſi liberè id feciſſet. Omitto alia Scripturæ innumera loca.

Ut actus voluntatis moralis ſit, neceſſe eſt, ut procedat ex perfecta deliberatione rationis, non ſolùm quatenùs poteſt unum actum, vel objectum cum alio conferre in ratione delectabilis, vel alio modo convenientis naturæ, ſed etiam ſub ratione honeſti, aut turpis. Explicatur. Actus moralis juxta communem modum ſentiendi omnium eſt ille, ex quo confici poſſunt boni, vel mali mores hominum. Sed hujuſmodi eſt actus ille, qui eſt a ratione potente deliberare de honeſtate, vel turpitudine morum. Et hac ratione in pueris non poteſt reperiri actus moralis; neque in amentibus, etiam ſi juxta probabilem ſententiam aliquod poſſit in eis inveniri aliqua indifferentia in operando, & aliquis diſcurſus, & comparatio inter unum bonum, & aliud, & inter commodum, & incommodum. Ergo prædictus concurſus rationis eſt neceſſarius ad morales actus. Quandoquidèm duo Moralitatis principia conſtituimus, liberam voluntatis operationem, & intellectus advertentiam; idcircò explicandum eſt antea, de quonam genere libertatis ſermo ſit, ut actus indè procedens moralis appelletur.

Quo-

aquam, ad quod volueris extende manum. Quæ verba perpendens D. Auguſt. Lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 12. *Ecce*, inquit, *apertiſſimè videmus expreſſum noſtræ libertatis arbitrium*. Huc etiam pertinent illa teſtimonia, in quibus tribuitur homini dominium ſuarum actionum. Geneſ. 4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Quem locum ad rem præſentem optimè declarat S. Proſper Lib. 2 de vocatione Gentium, cap. 4. Hinc etiam illud Eccleſiaſtici cap. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Non eſſet enim dignus laude, vel præmio, niſi liberè id feciſſet. Omitto alia Scripturæ innumera loca.

Ut actus voluntatis moralis ſit, neceſſe eſt, ut procedat ex perfecta deliberatione rationis, non ſolùm quatenùs poteſt unum actum, vel objectum cum alio conferre in ratione delectabilis, vel alio modo convenientis naturæ, ſed etiam ſub ratione honeſti, aut turpis. Explicatur. Actus moralis juxta communem modum ſentiendi omnium eſt ille, ex quo confici poſſunt boni, vel mali mores hominum. Sed hujuſmodi eſt actus ille, qui eſt a ratione potente deliberare de honeſtate, vel turpitudine morum. Et hac ratione in pueris non poteſt reperiri actus moralis; neque in amentibus, etiam ſi juxta probabilem ſententiam aliquod poſſit in eis inveniri aliqua indifferentia in operando, & aliquis diſcurſus, & comparatio inter unum bonum, & aliud, & inter commodum, & incommodum. Ergo prædictus concurſus rationis eſt neceſſarius ad morales actus. Quandoquidèm duo Moralitatis principia conſtituimus, liberam voluntatis operationem, & intellectus advertentiam; idcircò explicandum eſt antea, de quonam genere libertatis ſermo ſit, ut actus indè procedens moralis appelletur.

Quo-

Quoniam verò libertas a contrario meliùs dignoſcitur, idcircò explicandum, quid ſit coactio, quid neceſſitas. Coactio eſt vis illata contra internum appetitum elicitum voluntatis; & idcircò coincidit cum involuntario. Hæc vis voluntati inferri non poteſt, ne a Deo quidem. Si enim vis inferretur, exempli cauſa ad volendum, ita ut voluntas cogeretur velle, vellet ſimul, & nollet; vellet, quia velle cogeretur; nollet, quia appetitu elicito interno reſiſteret, & coactioni, adeòque nollet. Eſt enim coactio vis contra internum appetitum elicitum. Si ergò cogitur voluntas, ut velit, jam elicit appetitum nolendi contra illatam vim ad experimendam volitionem. Neceſſitas eſt determinatio ad unum abſque indifferentia ad oppoſitum. Jam verò libera dicitur voluntas, quæ utroque hoc impedimento caret. Quare ſi Deus concurreret ad actum voluntatis alitèr, quàm natura libera voluntatis poſtulat, hæc non ageret liberè. Libertatis hujus optimam notionem tradit Sanctus Joannes Damaſcenus, qui Lib. 2. cap. 22 de homine ita loquitur: *Libera poteſtate, & arbitrio, & cum ratione movetur. Itaque libera poteſtate appetit, libera poteſtate vult, quærit, conſiderat, conſultat, judicat, afficitur, eligit, impellit ſe liberè ad agendum; liberè itèm agit in iis, quæ naturæ conſentanea ſunt &c.* Eſt igitùr de libertatis eſſentia plena ad utramque partem, ſivè contrarietatis, ſivè contraditionis indifferentia. Quæ quidèm licèt ex revelatis haud dubiè conſtet; tamèn etiam firmiſſimè hæret in cujuslibet hominis, quantumvis rudis, intimo ſenſu. Quilibet enim de hac ſua indifferenti poteſtate ad utrumlibet certus eſt lumine naturali, ità prorſùs, ut argumenta, quæ quis proponat adverſus iſtam indifferentiam, cum riſu excipiat. Metus non aufert libertatem ſimplicitèr, ſed ſecundum quid, ſci-

li-

licèt ex parte. Quod patet ex illo actu projicientis cum triſtitia merces in mare, ut vitam ſervet in tempeſtate. *Nollem hoc facere, ſi alio modo poſſem vitam ſervare.* Concupiſcentia, ſeu affectus ſenſitivus, ſi eſt antecedens, minuit libertatem in actu voluntatis; quia trahens, vel alliciens voluntatem ad aſſenſum minuit ejus indifferentiam. Nàm primò minuit advertentiam rationis ad difficultatem; ſecundò repræſentat objectum pulchriùs, atque eligibiliùs, quàm ſit. Auget nihilominùs intenſivè voluntarium, faciendo ut libentiùs in objectùm feratur, licèt minuendo libertatem, minuat voluntarii aliquam ſaltèm extrinſecam perfectionem. Sed de hoc fuſius agemus in ſequenti diſputatione.

Alterum Moralitatis principium, ſcilicèt intellectus advertentia, nequit meliùs cognoſci, quàm ex ejus contrario, nimirùm ex ignorantia, & inconſideratione. Profectò aliquando datur ignorantia antecedens, quæ eſt quodammodò actionis cauſa, quatenùs tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non fieret actus, quantum eſt ex præſenti diſpoſitione voluntatis. Et tunc reverà excuſat a culpa reſpectu rei ignoratæ, cum faciat, ut actus non ſit liber: quemadmodùm *inconſideratio involuntaria* quò ad conditionem aliquam non conſideratam: contra verò ſi inconſiderantia ſit voluntaria. Aliquando hæc ignorantia eſt concomitans, ſi nimirùm actus fiat non ex ignorantia, ſed cum ignorantia. Hinc Ariſtoteles tertio Ethicorum capite primo, & Nyſſenus Lib. 5. Phil. cap. 2. ajunt: *De prioribus triſtamur, cum advenerit ſcientia (ut qui occidit hominem in ſylva, putans eſſe feram): de poſterioribus verò lætamur (ut qui occidit feram putans eſſe hominem).* Jam verò utraque hæc ignorantia ſi eſt voluntaria, & privat ſcientia rei præceptæ, eſt culpabilis: ſi verò eſt involuntaria, eſt na-

tura ſua inculpabilis; eſſe autèm poteſt affectata, ſi ſit, ut ajunt, in ſe volita: craſſa, & ſupina, ſi omittat diligentiam, quam cœteroquin putat quis ſibi debitam in perquirendo; licèt de cœtero omittat, vel quia directè nolit; vel ob deſidiam, & pigritiam, & quaſi indirectè. Rurſùs ſi eſt in homine habente phyſicam poteſtatem, eſt vincibilis, ſecùs invincibilis: Quarè prima eſt culpabilis, ſecunda non item. Tandem altera eſt ignorantia juris, altera facti. Sub jure comprehenditur Jus Divinum, naturale, & poſitìvum, aut jus humanum, ac deniquè omne ſuperioris præceptum: Sub facto, vel tota actio, vel ejus circumſtantia, vel effectus, qui ex illa poſtea ſequitur. Utrumque horum, jus, & factum, poteſt invincibilitèr, & vincibilitèr ignorari: nec dubito, quìn in omni jure poſſit cadere ignorantia invincibilis, quamvis faciliùs in jure poſitivo Divino, quàm naturali, quia hoc habet cum homine magis intrinſecam connexionem; & in hoc dari non poteſt ignorantia invincibilis primorum principiorum. De ratione actus moralis in primis eſt, ut ſit per ſe, & intrinſecè voluntarius. Quod eſt autem voluntarium, ut ſit perfectum, indiget perfecta advertentia rationis, quæ in actu non ponit aliquid præter entitatem ejus, ſed ſolùm directionem quamdam, a qua denominatur actus cum advertentia, ſeu perfecto modo factus. Ut ſi quis voluntariè, & ex directione artis fingat monſtrum, actio eſt artificioſa. Si verò volens depingere hominem caſu depingit monſtrum, actio non eſt artificioſa; ſed deficiens ab arte: & tamèn ſi conſideretur phyſicè actio ipſa, eodem prorſus motu Phyſico perficitur. Puffendorfius ignorantiam dicit ideò tollere imputationem actus, quia actionem reddidit *invitam*. Hoc falſò dicit. Non enim fieri poteſt,

ut

ut invita ſit actio ex ignorantia, ſed potiùs minùs voluntaria.

Itèm ait, ignorantiam ſolùm excludere imputationem in ſingularibus, & quæ in facto verſantur, non verò in univerſalibus, & quæ quis ſcire tenetur. In quo etiam vehementer errat. Nàm ratio eadem probat, aliquid imputandum non eſſe ob ignorantiam facti, ac non eſſe imputandum ob ignorantiam juris, ſaltèm in foro interno, ſi utraque ſit involuntaria. Quod etiam conſtat ex proſcriptione hujus Theſis per Alexandrum VIII. *Ignorantia invincibilis Juris Naturæ non excuſat a peccato operantem ex ipſa.*

Contra libertatem indifferentiæ acritèr pugnatum eſt a Leibnitio ex capite Principij rationis ſufficientis. Contendebat hic auctor, dari debere aliquam rationem, cur res ita ſit potiùs, quàm alitèr: rurſùs cur voluntas, etiam Divina, rem ita velit potiùs, quàm alitèr: ſecùs diceretur Deus operari ſine ratione: quod repugnat Sapientiæ Divinæ: *Ita ſe habet, ait, voluntas, quemadmodum bilanx impoſitis hinc indè ponderibus: eò nimirum inclinatur bilanx, ubi majus eſt pondus: nec ſecùs voluntas id eligere debet, quod eligibilius eſt, & apparet.*

Hoc præclarum principium rationis ſufficientis, quod a ſe putat excogitatum Leibnitius, novum non eſt; ſed antiquum, & a Catholicis Doctoribus impugnatum. Concedo igitur, dari debere rationem aliquam, cur Divina voluntas rem uno modo velit, & non alio: ſed hæc ratio non ſemper ab ipſa voluntate diſtincta eſt. Neque enim dari debet ratio determinans voluntatem Divinam ad eligendum unum potiùs, quàm aliud, quia hoc contradicit perfectioni ipſius Dei, Entis ſummè activi, & liberi. Exemplum bilancis non eſt ad rem. Nam bilanx eſt potentia merè paſſiva; non ita verò voluntas. Ut autem conſtet, Leibnitia-

nam rationem ſufficientem coincidere cum veteri ſententia *de judicio practico intellectus determinante voluntatem ad operandum*, quam ſententiam Scotus Theologorum Princeps argumentis firmiſſimis confutavit; proponam rationes pro ea ſententia, quibus utitur Leibnitius, & quas exſcripſit e Catholicis Doctoribus homo Acatholicus. Simul eas Catholicorum veterum verbis brevitèr diluam.

In favorem Sententiæ, quòd ſcilicet voluntas, dum liberè vult, a ratione determinetur, ratio eſſe poteſt, quia voluntas non poteſt ferri niſi in objectum cognitum, & per rationem propoſitum, cum ſit appetitus rationalis, ut ait Ariſtoteles 3. Ethicorum cap. 2. Ergò donec ratio determinatè judicet, quid eligendum ſit, non poteſt voluntas eligere; aliàs tenderet in objectum incognitum. Ergò & e converſo, ſtante illo definito judicio, *Hoc eſſe eligendum*, non poteſt voluntas non eligere, quia aliàs etiam tunc ſine ratione duceretur: & formalitèr, vel virtualitèr ſaltèm ferretur in incognitum, quia non eligendo, vel formali, vel virtuali actu refutat illud objectum, vel vult non amplecti talè medium ſine ulla rationè, vel judicio. Repugnat ergò, voluntatem ſic operari. Rurſùs, ſi unum tantùm adeſt judicium (ſeu ratio) illud omninò ſequetur voluntas; quia non habet illud aliud, ad quod ſe vertat. Si verò adſunt plura, neceſſariò ſequitur illud, quod eſt de utiliori medio, aut meliori objecto: atque ita ſemper determinabitur a judicio. Hæc ſunt fundamenta ſententiæ Leibnitianæ. Hæc tamen ſolidè a nonnullis Theologis impugnantur hoc modo: Si illud judicium rationis eſt ita prærequiſitum ad operandum, ut in ſuo genere ſit cauſa neceſſaria ad actum liberum voluntatis; & illo judicio poſito, voluntas non poteſt non conſentirè illi;

li; ergò voluntas non eſt talis potentia, quæ, poſitis omnibus abſolutè requiſitis ad operandum, poſſit velle, & non velle. Ergò non eſt potentia libera. Tota collectio videtur evidens, & declaratur ampliùs; nàm, poſito judicio, voluntas ex neceſſitate vult in ſenſu, ut ajunt, compoſito. Atque hoc quidem argumentum videtur eſſe a poſteriori, & ab inconvenienti: En aliud veluti a priori: Judicium intellectus non movet voluntatem, niſi medio objecto, quod proponit: ſed objectum propoſitum non ſemper infert neceſſitatem voluntati, aut determinat illam ad unum; neque hoc eſt neceſſarium, ut voluntas poſſit in objectum tendere: ergo nec eſt neceſſaria ex parte judicii, immò nec eſt poſſibilis talis determinatio Quòd autèm voluntas ab objecto propoſito non ſemper determinetur ad unum, patet. Nam perindè eſt dicere, *voluntatem non neceſſitari ab alio*, ac, non determinari ad unum ab illo. Sed eſt certum, eam non neceſſitari ab objectis; ergò nec determinari ad unum. Igitur quoàd exercitium ſolùm in patria ab infinita bonitate Dei clarè viſi determinatur voluntas ad unum: quò ad ſpecificationem verò a bono in communi, aut ſimilibus objectis; non verò ab omnibus; quia in omnibus non apparet aliqua neceſſaria ratio boni, vel non apparet talis bonitas, quæ non habeat admixtam, vel malitiam, vel incommodum aliquod, aut defectum. Quamvìs autèm objectum non ſic determinet voluntatem, poteſt eſſe tamen ita ſufficiens ad excitandam, & alliciendam illam, ut ipſa ſua libertate determinetur, aut feratur in illud.

Ad fundamenta ſententiæ Leibnitianæ reſponderunt Theologi multis ante Leibnitium ſæculis. Ex eo, quòd voluntas non poteſt ferri in incognitum, ſolùm habetur, neceſſarium eſſe judicium intellectus, ut

vo-

voluntas poſſit eligere, non verò ſequitur oportere; ut illud judicium determinet voluntatem ad unum. Sufficit ergò illud judicium, quo medium hoc judicatur utile, & penſatis omnibus, aptum, ut eligi poſſit: & idem eſt de quolibet & objecto bono, quod ſemper judicetur ſufficientèr bonum, ut amari poſſit. Ratio ſufficiens requiritur etiam in Deo reſpectu actuum voluntatis in ſententia Leibnitii, undè hìc infert, Deum ſemper eligere quod optimum eſt, nec alitèr poſſe, nec poſſe creare duo perfectè ſimilia.

Jam Theologi hoc principium Leibnitii, etiam Deo applicatum, præoccuparunt. Ajunt ergò, ut Deus in æternitate ſua aliquid extra ſe determinatè, ac liberè velit, non oportere, ut ante omnem determinationem liberam præcedat, noſtro modo intelligendi, in intellectu divino hoc judicium: *Hoc mihi omnino amandum eſt, aut eligendum*. Eſſet enim tale judicium temerarium, ac ſine fundamento, & in rigore falſum. Nàm includeret, quòd tale objectum extra Deum ſit ipſi Deo aliquo modo neceſſarium. Solùm ergo antecedit judicium, quòd tale objectum ſit conveniens, aut eligibile. Ad hæc duorum ſimilium impoſſibilitas probari non poteſt. Et voluntas Divina inter hanc materiam, & aliam omninò æqualem, & ſimilem & inter hos cælos, & alios omninò æquales (& ſic de aliis rebus) hos eligit creare præ aliis: hoc autèm non poteſt referri in judicium in æquale, ſeu in rationem potiorem; quia nèque ex parte ipſorum, nec ex parte Dei eſt aliqua ratio, qua poſſit fundari tale judicium, quod verum ſit. Eſt ergò illa præelectio ſolùm ex determinatione libera divinæ voluntatis. Et quàmvis probari poſſet a Leibnitianis, repugnare duo perfectè ſimilia, & unum eſſe debere altero melius; tamèn hoc vo-

lun-

luntati divinæ eſt neceſſariò concedendum, eam non teneri, quod meliùs eſt, eligere; quia potuit meliora facere, quàm fecit, & tamen noluit.

Quocircà omnes Theologi docent, Incarnationem Dei fuiſſe optimum medium ad redimendos homines, idquè neceſſariò judicaſſe Deum priùs ratione, quàm illud vellet, & nihilominùs, ſtante illò judicio, potuiſſe Dèum id non velle, ſed àliud.

Cenſent ergò Theologi probabiliùs, non determinari voluntatem neceſſariò ad id, quod eſt meliùs, ex vi judicii. Probant verò ſic: Hoc ipſo, quòd neutrum proponitur, ut neceſſarium, potèſt voluntas utrumque non amare; ergò etiam poteſt indifferentèr amare quodlibet illòrum, prætermiſſo alio. Judicium itàque de meliori, vel utiliori medio, non determinat voluntatem ad illud volendum. Tamèn ex vi prioris actus, aut intentionis voluntatis, fieri pòteſt, ut omninò determinetur ad eligendum utilius medium, ſi illa major utilitas neceſſaria ſit ad conſequendum finem, prout fuerat intentus; ſed tunc jam non eſt tantùm utilius, ſed neceſſarium ad talem intentionem explendam. At ſi illa major utilitas non ſit neceſſaria ad intentionem finis, judicium de illa non determinabit voluntatem, ut omninò tale velit medium.

Quandò tandèm unum repræſentatur objectum, & unum eſt judicium, quo intellectus judicat illud eſſe conveniens, & dignum, ut appetatur, & quantum poteſt, practicè invitet voluntatem, ut illud appetat; adhuc poteſt voluntas pro ſua libertate illud non amare; quia ad non exercendum actum præciſè non indiget alio judicio, ſed ſatis eſt, ut per illud, quod homo nunc habet, non judicèt hoc bonum hic, & nunc eſſe ſibi neceſſariò diligendum; undè poteſt tunc voluntas vel ſuſpendere actum, vel divertere in-

let-

tellectum, ne de illo objecto cogitet, vel applicare illum, ut de illo objecto diligentiùs inquirat, quanta ſit ejus bonitas, & an habeat conjunctam aliquam malitiam, vel diſconvenientiam, ob quam poſſit non ſolùm non amare illud, ſed etiam odiſſe. Nunquàm ergò judicium ut ſic, determinat voluntatem.

CAPUT III.

De intrinſeco principio Moralitatis.

DEi voluntas, ut plerique Catholicorum docent, ſivè quid jubeat, ſivè prohibeat, non eſt tota ratio bonitatis, & malitiæ, quæ eſt in obſervatione, & tranſgreſſione legis naturalis; ſed ſupponit in ipſis actibus neceſſariam quamdam honeſtatem, vel turpitudinem, & illis adjungit peculiarem divinæ legis obligationem. Ratio eſt, quia ſi odium Dei, exempli cauſa, non haberet aliquam rationem intrinſecæ malitiæ priorem prohibitione, poſſet non prohiberi. Nàm cur non poſſet, ſi malum per ſe non eſſet? ergò poſſet licere, vel eſſe honeſtum, quod plane repugnat.

Puffendorfius omnem moralitatis vim in Dei voluntate quadam determinata reponit, aitque primum illius autorem eſſe Deum, qui noluit, mortales hanc vitam ſine cultu, ſine more, brutorum inſtar, vivere. Addit, Moralitatis attributa ſuperaddita rebus phyſicis ex arbitrio Dei, adeòque unicè per ejus determinationem exiſtere. Agnoſcit etiam alicujus Moralitatis originem in hominum voluntate, qui leges condiderunt, eamque moralitatem iis actibus tribuit, qui a lege humana dependent. Tandèm affirmat, poſſe Deum auferre moralitatis vim cunctis actibus

hu-

humanis: quod ſi faceret, manerent tunc phyſicè actus iidem, qui ante ab eo moralitatis modum acceperant: iis vero actibus, qui hominibus debent Moralitatis originem, affirmat etiàm homines poſſe auferre modum Moralitatis. Unde patet, omnem omninò actionem moralem, Puffendorfii ſententia, vel ex Dei, vel ex hominum voluntate pondere.

Hæc enim verò Puffendorfii dogmata atrociſſimum illi bellum concitaverunt non a Catholicis modò, ſed a ſuis etiam Lutheranis, aliiſque Proteſtantibus, qui cum Velthemio querebantur, ſibi eripi honeſtum, ac turpe per ſe, & antecedentèr ad voluntatem divinam. Nihil his territus gregalium querelis eos ille viciſsìm coarguebat, quòd actus in ſe, & per ſe juſtos, aut injuſtos admitterent. Sic enim habet in Specimine controverſiarum cap. 5. *Quid ergò ad jus naturæ Deus contulit, ſi actus illi ante ejus præceptum in ſe juſti fuerunt, aut injuſti? Humanis quidem Legislatoribus illud per ſe juſtum, & injuſtum opponi debet; nequaquàm autèm Deo; quia voluit, & fecit, ut actus illi neceſſariò humanæ naturæ congruerent, vel non congruerent; & quem nulla neceſſitas ſubigebat, ut iſtos actus præciperet, aut vetaret, niſi quam ipſe ſibi fecerat, & quæ fluebat ex fine, quem ſibi liberè propoſuerat.* Sed hic modus philoſophandi rejicitur a Catholicis, deindè a Leibnitio. Catholici enim ajunt, actus, qui lege naturæ præcipiuntur, aut prohibentur, naturà ſuà eſſe honeſtos, vel inhoneſtos: Refellunt enim Diogenis Cynici eam ſententiam, *Juſtum, & turpe non naturà eſſe, ſed lege.* Rurſus ajunt, Deum per legem naturalem induxiſſe homini novam obligationem, per ſcriptam pœnas comminatum fuiſſe, ac præmia promiſiſſe. Sanè inter Deum, & homines Legislatores magnum eſſe diſcrimen. Non enim homines præcipere poſſunt, quæ præcipit Deus, nec iiſdem

mediis promovère legis obſervantiam. Tamèn non minùs reſpectu Dei dantur actus per ſe morales, hoc eſt mali, vel boni, quàm reſpectu hominum. Illud profectò liberum Deo fuit, creare homines, vel non creare: poſita autem hypotheſi de hominum creatione, non fuit integrum Deo, dari, vel non dari actus morales in ipſis hominibus.

Leibnitius meritò Puffendorfium inſectatur in Epiſtola cenſoria, quam ſcripſit anno 1709. ad Abbatem Molanum: *Neque, ait, ipſa norma actionum, aut natura juſti a libero ejus (Dei ſcilicèt) Decreto, ſed ab æternis veritatibus divino intellectui objectis pendet, quæ ipſa, ut ità dicam, Divina eſſentia conſtituuntur: meritòque a Theologis auctor reprehenſus eſt: quando contrarium defendit, credo, quòd pravas conſequentias non perſpexiſſet; Neque enim juſtitia eſſentiale Dei attributum erit, ſi ipſe jus, & juſtitiam arbitratu ſuo condidit.* Sed aliquo in loco ſententiam ſuam videtur Puffendorfius circumſcribere. Sic lib. 1. c. 2. de Juræ Naturæ, & Gentium ait, *Entia moralia pleraque, ut inducerentur, poſtulaſſe ipſam hominis conditionem a Creatore Deo Opt. Max. eidem pro bonitate, & ſapientia ſua aſſignatam.* Et in ſpecimine controverſiarum cap. 5. *Voluntas Legislatoris non concipienda eſt tamquàm cæcus quidam impetus animi, & mera libido nulla ratione ſubnixa. Ultima ratio harum legum eſt, quia earum obſervatio ad naturam, & conditionem hominis ità quadrat, ut ex illa hujus incolumitas, & felicitas, ſicuti ex ejuſdem neglectu calamitas, miſeria, & deſtructio dependeat.* Et lib. 2. de jure Naturæ, & Gentium cap. 3. *Et ſi*, inquit, *nulla neceſſitas Deum adegerit, ut omninò hominem crearet; tamèn poſtquàm ipſum deſtinaſſet creare animal rationale, ac ſociale, non poterat non lex naturalis illi congruere, non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri, &*

hor-

horridi ſpecies animantis fuiſſet producta : Ex quibus videtur poſſe inferri , moralitatem hanc , atque adeò legem ipſam naturalem datam homini a Deo convenientèr ad naturam ipſam humanam ; & ex hypotheſi creationis naturæ humanæ fuiſſe Deo neceſſitatem dandi ejuſmodi legem ; Undè etiàm ſequitur , naturam ipſam exigere talem convenientiàm : In actibus igitùr naturæ convenientibus eſt quædam honeſtas , & turpitudo ante omnem Dei voluntatem , tamquam Legislatoris .

Verùm ſi natura humana concipitur priùs a Deo creata , & quidem *liberè* cum talibus proprietatibus , dicamus oportet , potuiſſe illam a Deo cum aliis proprietatibus creari , ut nimirùm honeſta forent , quæ nunc inhoneſta ſunt , & viceverſa . Ergò ultima ratio harum legum non eſt (ut vult Puffendorfius) incolumitas , & felicitas naturæ humanæ ; ſed eſt ejus libera *voluntas* , qua homini talis natura fuit deſtinata . Si verò non alia poterat a Deo dari natura homini (poſito libero decreto hominem creandi) , niſi cui congruerent hæ proprietates , & principia moralitatis ; ergo falſum eſt , quod ait Puffendorfius Lib. 1. cap. 2. de Jure Naturæ , & Gentium : *Nemo utique , præter Deum , homini dedit , ut talem habeat naturam , ut talis actuum ab ipſo exercendorum eſſet indoles . Cum autèm Deus hominem crearet , cum talem ipſi , ejuſque actibus naturam daret , quam maximè voluntariè agebat : Igitùr moralitas illa actuum humanorum ad voluntatem Dei antecedentèr ſe habere falsò dicitur* .

Atque hinc argumentum conficio : Si actuum humanorum moralitas falſò dicitur ſe habere ante Dei voluntatem ; ergo & ex Dei voluntate iidem , qui nunc ſunt , actus morales , tales non eſſe poterant : & qui ſub una Moralitatis ſpecie continentur , pote-

rant ſub alia contineri, ſcilicèt ante Dei decretum liberum. Quare homicidium tota cum mentis advertentia, & voluntatis plena libertate patratum, potuiſſet non eſſe actus moralis, adeòque peccatum: quinimmò potuiſſet, vel ipſum Dei odium eſſe ſub ſpecie morali honeſtatis.

Neque illud obſtat, quod ait ipſe Puffendorfius; *Nec eſt quem moveat illa dubitatio: Si omnis actuum humanorum moralitas a lege dependet, an non Deus potuerit legem naturæ conſtituere, ita ut contraria forent præcepta illis, quæ jam ſunt: verbi gratia, ut inter officia hominis mutua eſſent, occidere, furari, mœchari, calumniari: inter vetita autem, gratum animum exhibere, pacta ſervare, mutuum reddere, & ſimilia. Hic etſi ſupervacuum, ac petulans videatur quærere quid Deus facere potuerit, cum conſtet, quid fecerit; tamèn, ſi cui etiam vana convellere cordi ſit, facilè reponere poteſt, illam dubitationem non obſcurè contradictionem involvere. Nam etſi nulla neceſſitas Deum adegerit, ut omninò hominem crearet; tamen poſtquam ipſum deſtinaſſet creare animal rationale, ac ſociale, non poterat non lex naturalis illi congruere, non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri, & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.*

Hoc, inquam, non obſtat, nam quando abſurda illa inferimus ex Puffendorfii principiis, ſcilicèt potuiſſe diverſimodè conſtitui actus morales, non hoc dicimus, quaſi Deus potuiſſet voluntatem, quam ab æterno habuit, mutare; ſed tantùm, quòd potuiſſet ab æterno ſtatuere, ut, qui modò ſunt actus mali, eſſent boni, & viceverſa. Et quandoquidèm integrum Deo fuit, ut Puffendorfius exiſtimat, hanc determinatam naturam homini tradere; potuiſſet alitèr hominem conſtituere, ut nimirùm odium Dei, perijurium,

rium ; atque alia hujuſmodi eſſent bona ; & amor Dei , & veracitas eſſent mala.

Hinc ordo a Puffendorfio in hac re conſtitutus valde præpoſterus eſt. Ait enim in ſpecimine controverſiarum cap. 5. *Primò omnium concipitur homo , tamquam creatura rationalis , a Deo liberè producenda . Indè concipitur habitudo ipſorum actuum ad normam dirigi aptorum : poſt hanc lex tamquàm norma , ad quam actus iſti neceſſariò referendi , & dirigendi ſunt : ac demùm concipitur honeſtas , & turpitudo , tamquam affectiones actuum ad normam relatorum .* Ordo autem hic , ut dicebam , præpoſterus eſt , neque ita rectè inſtituitur , ut ſapientèr de honeſtate , ac turpitudine actuum poſſimus judicare . Quarè primò concipienda eſt honeſtas , & inhoneſtas actuum , quæ quidem in Deo adverti poteſt . Nam turpe eſſet in ipſo Deo velle mentiri , honeſtum implere promiſſa , & hoc independentèr a qualibet lege , & quolibet actu Divinæ voluntatis . Tùm concipiatur creatura rationalis liberè a Deo creata cum ſuis proprietatibus ; qua poſita , habetur principium remotum , & fundamentum moralitatis . Nàm principium proximum eſt advertentia intellectus , & libera voluntatis determinatio . Inde lex naturalis actus aliquos ulteriùs præcipiens , alios vetans : & quidem actus illi non ideò honeſti ſunt , quia lege præcipiuntur , & alii turpes , quia prohibentur : Sed e contrario , ideò præcipiuntur , quia honeſti ; ideò prohibentur , quia turpes . Qua poſita lege , actus ipſi novam induunt ſpeciem bonitatis , & malitiæ ex legis obligatione ; ad quam referuntur . En rectus ordo moralitatis , quem planè confuderat mens clariſſima Puffendorfii.

Quibus poſitis , facili negotio diluuntur quæ objicit Puffendorfius. *Quilibet* , inquit , *actus citra legem , ſunt omnino indifferentes . Remota enim lege , removetur quid-*

quid

quid est morale in actu illo. Ergò si ab his omnibus, adulterio, furto, homicidio, incestu, aliisque, removeas respectum ad legem, erunt hæc prorsus indifferentia. Quòd autem multi naturalem istam indifferentiam ægrè concipere queant, indè est, quòd a teneris vitiorum istorum detestatio fuit nobis inculcata: quæ opinio simplici adhuc menti impressa in vim naturalis cujusdam affectus evadit.

Sed hujusmodi objectiones & multò ante prænoverant Doctores Catholici, & egregiè simul confutaverant. In his Franciscus Suarezius in primam partem secundæ B. Thomæ tract 3. disp. 7 sect. 1. objecerat sibi: *Nullus actus voluntatis potest ex vi suæ entitatis positivæ habere malitiam, sicut bonitatem.* Ergò in tantùm potest illam habere, in quantùm deficit a regula voluntatis, quæ est lex. Ergò non potest intelligi actus malus sine lege extrinseca prohibente. Confirmatur, quia non potest intelligi malitia actus sine obligatione non faciendi; sicut neque e contrariò intelligi potest malitia in carentia actus, nisi sit obligatio operandi. Sed omnis obligatio oritur ex lege extrinseca præcipiente, vel prohibente. Ergò sine hac nulla est malitia: ergò sicuti talis lex non est intrinseca actui, ita neque ulla malitia.

Hæc sanè objectio videtur adeò placuisse Puffendorfio, ut eam sibi adoptarit in argumentum firmissimum. Sed debuerat responsionem expendere, quam tradit eximius Doctor. *Cum dicitur, omne malum debere esse contra prohibitionem, vel contra debitum, si intelligatur de intrinseco debito naturæ rationalis, ut sic, est verum, quod assumitur: & ex illo debito nascitur judicium rectæ rationis probibens, judicando convenientiam naturæ, & malitiam contrariam, non imponendo novam obligationem; & hoc satis est ad omnia, quæ ibi assumuntur; neque est necessaria alia major probibitio exterior, ut dictum est: quamvis de-*

fa-

facto semper hæc concurrat ex perfectione Divinæ providentiæ.

CAPUT IV.

De honestate actum humanorum.

EST hìc operæ pretium, duo honestatis genera, seu duas boni honesti species rectè distinguere. Uno modo in ordine ad actiones morales humanas, proùt recta ratione, & prudenti dirigi possunt: & hoc bonum honestum dicitur, quòd per se decet hominem ratione utentem. In hac verò acceptione non consideratur aliqua commoditas, quæ ex tali bono ad eum hominem redundet, respectu cujus dicitur bonum. Hæc enim, licèt sæpè intercedat, per se tamen necessaria non est ad honestatem; sed sufficit illa decentia & proportio, quæ reperitur inter tale bonum, & naturam, quæ operationes suas recta ratione dirigit. Sicut dare eleemosinam est honestum, quia est per se consentaneum naturæ rationali, etiamsi per impossibile homo sic operans nullam indè utilitatem, vel commoditatem caperet, præter ipsum rectè operari. Quomodò etiam respectu Dei dicitur esse conveniens, & honestum se se communicare, benè facere, & misereri, non quia illi sit commodum, sed quia est per se decens, ac proportionatum illius bonitati. Bonum ergo honestum hac ratione explicatum dicit peculiarem rationem convenientiæ; & ex parte rei, quæ honesta dicitur, includit perfectionem ejus cum omnibus conditionibus, vel Physicis, vel moralibus ad prædictam convenientiam cum rationali natura necessariis. In hac acceptione habemus mali naturam a D. August. lib. de natura bo-

ni

ni adverſus Manichæos cap. 23. *Malus modus, vel mala ſpecies, vel malus ordo, aut ideo dicuntur, quia minora ſunt, quàm eſſe debuerunt, aut quia non his rebus accommodantur, quibus accomodanda ſunt, ut ideò dicantur mala, quia ſunt aliena, & incongrua.* Et libro ſecundo de moribus Manichæorum: *Malum eſt, quod contra naturam eſt.... id eſt ipſa inconvenientia, quæ ſine dubio non eſt ſubſtantia, ſed inimica ſubſtantiæ. Quatuor ipſa, quæ in promptu ſunt, elementa: quis dubitet prodeſſe per convenientiam, inconvenientèr autèm adhibita vehementèr adverſa eſſe naturæ?* Alio modo ſumi poteſt bonum honeſtum non in ordine ad mores, ſed in ordine ad naturam, & eſt illud, quod per ſe perficit naturam, & eſt commodum illi, etiam ſecluſa ratione virtutis, ut eſt ſanitas, integritas, & vita ipſa, quam interdum amare, vel tueri turpe eſt, etiamſi per ſe maximè conveniens naturæ videatur. Et hoc bonum videntur antiqui Philoſophi appellaſſe *bonum naturæ*, quod diſtinguebant a bono honeſto, quod per ſe decens appellabant, ut colligitur ex Cicerone libro tertio, & quarto de finibus. Quia tamen hoc bonum naturæ per ſe conveniens eſt, & amabile, ideò ità cenſetur comparari appetitus naturæ ad hoc bonum, ſicut appetitus rationalis ad bonum per ſe decens: atque hac ratione in ordine ad naturam hoc bonum comprehenditur ſub bono honeſto. Accedit etiam, quòd hæc ratio boni ſufficiens eſt, ut ipſum honeſtè appetatur, ſi aliundè impedimentum aliquod non intercedat.

Cum enim recta ratio ſit, quà homo debet gubernari; ad illam pertinet ea, quæ ſunt naturæ commoda, & conſentanea proponere: niſi aliundè aliquid obſtet, vel majus aliquod incommodum conſequatur. Hoc igitur modo loquendo de bono honeſto, conceden-

dendum eſt, potiùs animæ eſſe quædam honeſta bona, non quidèm eo modo quo virtutes, quibus malè uti non poſſumus, ſicut potentiis ipſis: qua proptèr ab Auguſtino hæc maxima, illa verò media bona cſſe dicuntur: ſed ea ratione, quà bona pertinentia ad integritatem naturæ per ſe convenientia ſunt, & quantùm ex ipſis eſt, rectè amabilia: atque hoc modo ipſum eſſe, & vivere, & ſapere honeſta ſunt. Nequè ſolum inhærentia bona, ſed etiam res extrinſecæ, quæ interdùm ſunt per ſe convenientes, ſaltèm ut objecta vitalium actuum, inter hæc bona honeſta computantur.

Hinc intelligitur illa boni diviſio in morale, & naturale. Bonum morale idem eſt ac bonum honeſtum, quod per ſe decet, & eſt conſentaneum naturæ rationali. Bonum naturale illud dicitur, quod eſt cuicumque naturæ conveniens. Atque hoc definitur ab Ariſtotele Ethicorum initio, *id, quod omnia appetunt*. Et quamquàm bonum morale dici etiam poteſt bonum naturale, quia natura rationalis quædam natura eſt; tamèn, quia natura ſumi poteſt duplici modo, & ut ſignificat eſſentiam rei, & ut dicit prætereà modum operandi, vel ex neceſſitate, vel ex libertate, hinc fit, ut bonum reſpiciens quamlibet exiſtentem naturam ſecundum id, quod naturaliter eſt; vel naturalitèr, & ex neceſſitate, & ſolo naturæ impetu poteſt operari, dici ſoleat bonum naturale. Bonum verò, quod eſt conſentaneum rei, ut elevatur ad modum operandi liberè, quod propriè convenit naturæ, ut rationalis eſt, dicitur bonum morale: licèt etiam latè ſumpto vocabulo poſſit appellari bonum naturale. Hinc etiam fit, ut bonum hoc morale præcipuè conſiſtat in operatione libera; conveniat autèm proprio objecto ejus, quatenùs honeſtum eſt,

& virtuti, quæ eſt principium ejus: quemadmodùm dixit Ariſtoteles 2. Ethicorum cap. 6. *virtutem eſſe, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit*; Itaquè bonum naturale ab honeſtate præſcindit, ſecùs verò bonum morale, cum ſit hujus proprietas eſſentialis ipſa honeſtas.

His conſtitutis perſpicuum eſt, quàm turpitèr Wolfius erravit in ſtatuenda Theoria actionum humanarum, omniſque Juris Naturalis. Ut enim conſtituat honeſtatem actuum liberorum, hæc ponit theoremata *in Philoſophia Practica univerſali demonſtrata methodo geometrica a §. 49. uſque ad 55. Actiones liberæ bonæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, malæ autem per diverſas. Si actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, bonæ ſunt; ſi verò determinantur per diverſas, malæ ſunt.*

Hoc principium appellat ipſe *fœcundiſſimum in Philoſophia practica*, utpotè cui reliqua innituntur ab ipſo poſita legis naturalis principia. Nam §. 179. expreſsè habet: *Determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non verò per diverſas, eſt principium cognoſcendi leges naturales, & omne Jus Naturale.* Et ſupra §. 154. dixerat: *Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non verò per diverſas, ſeu ad non determinandum per diverſas*: Unde infert §. ſequenti: *Qui actiones ſuas liberas determinat per eaſdem rationes finales, per quas naturales determinantur, legem naturæ ſervat: qui verò eas determinat per rationes diverſas ab iis, per quas determinantur naturales, legem naturæ tranſgreditur.* Ex quibus patet, totam honeſtatis rationem a Wolfio reponi in conformitate actionis liberæ cum ratione finali determinante actionem naturalem. Sed

quæ-

quænam esse debent rationes finales, seu quinam esse debet Wolfio finis determinans actionem naturalem? Non alius profectò, nisi finis a Deo intentus: Sic enim habet in Theologia naturali parte 1. cap. 4. & in Philosophia practica §. 46. Quinam verò sint fines rerum naturalium, habet ille §. eodem: *Usus facultatum animæ, & organorum corporis sunt fines a Deo intenti. Quoniam igitùr in harum numero etiam sunt facultates animæ, & organa corporis humani; quin eorumdem quoquè usus sint fines a Deo intenti, dubitari nequit.* Jam verò quinam sunt usus, quos habent, vel sigillatìm, vel conjunctìm organa corporis, & facultates animæ. Respondet: *Sensus hunc habet usum, ut eorum, quæ sunt, ac fiunt in Universo, cognitionem acquiramus. Quòd si igitur agimus quidpiam, ut cognitionem cujusdam, quod in Universo est, vel contingit, nobis acquiramus sine duce; cognitio ista finis est, quam intendimus. Similitèr organa vitalia simùl sumpta hunc habent usum, ut eorum functionibus vita conservetur. Quandò igitùr vitæ conservandæ gratia quid agimus, & functiones organorum vitalium eò dirigimus, conservatio vitæ finis nostræ actionis est. Qui usus est ex parte rei, veluti ex parte sensuum, & organorum vitalium; finis est ex parte agentis, qui libera voluntatis determinatione usus istius compos fieri desiderat.*

Verùm finis a Deo intentus estne Wolfio usus prædictus sensuum corporis, & animæ facultatum? Hoc Wolfius clarissimè affirmat loco citato: *Cognitio eorum quæ sunt, ac fiunt in universo, sibi acquirenda, & conservatio corporis, sunt fines, quos Deus intendit, dùm hominem produxit, cui insunt sensus, & organa sensoria, atque vitalia.* Ex his colligit idem Wolfius §. 47. *Si agens ideò agit, ut eum, quem habere possunt, usum facultates animæ, & organa corporis, actù consequatur; actiones liberæ per easdem rationes finales determinantur, per quas determi-*

nantur naturales : Si verò quid ab eo diversum intendit , actiones liberæ determinantur per rationes finales , diversas ab iis , per quas determinantur naturales .

Ex quibus infertur , non aliam statui a Wolfio honestatis regulam in actionibus liberis , nisi ductam ab usu sensuum corporis , & facultatum animæ , qui respiciat vitæ conservationem . Sed quid agendum erit , quotiès usus organorum corporis , & facultatum animæ sint legi Divinæ repugnantes ? eruntnè tunc fines a Deo intenti? Rursùs cum usus , & finis omnium organorum corporis , & facultatum animæ , sit vitæ conservatio ; sequitur indè , nihil fore inhonestum , quod ad vitæ conservationem conducat , ac proindè excusabitur turpissimum Amnonis facinus lib. 2. Reg. cap. 13. Nec verum erit , quod ait S Augustin. Tract. 51. in Joannem , *præstare aliquandò Deo dilecto emori , quàm contempto vivere* : Et lib. 19. de Civitate Dei cap. 3. & 13. *Quoniam animi æquitas , & corporis salus , utrumque bonum est , bonique amissione dolendum est potiùs , quàm lætandum , si tamen non sit compensatio melioris ; melior est autèm animi æquitas , quàm corporis sanitas . Hinc est quòd virtus , id est ars regendæ vitæ quædam minora , si necessitas postulet , propter majora , vel adipiscenda , vel tenenda , contemnat . Omnium autem bonorum , vel animi , vel corporis nihil sibi virtus omninò præponit .*

Nonnulli , ut Wolfium defendant , ajunt , eum posuisse regulam honestatis in usu , non quocunque , sed bono organorum corporis , & animæ facultatum .

Sed qui sic Wolfium defenderet , hominem repræsentaret non ingeniosum quidèm , & principia moralitatis geometrice pertractantem , sed valdè crassum , & rudem , eumque ineptissimè de principiis hisce agentem exhiberet . Siquidèm Wolfii systema hùc tandem

eva-

evaderet: Eas esse actiones honestas, quas agens operatur *usu bono organorum corporis*, *animæque facultatum*; *eas verò esse inhonestas*, *quas usu malo efficiet*. Uno verbo. Bona actio est bonus usus, mala actio est malus usus. Quo quid ineptius? Non ità Wolfium intellexit ejus defensor Joannes Justinus Schievschmidius Lipsiensis in præcognitis juris Civilis, Neapoli editis anno 1756. Tomo Secundo jurisprudentiæ juvenilis, §. 18. scribens; *Natura nos obligat*, *ut ea faciamus*, *quæ animam*, & *corpus perficiunt*. *Hanc vocem perficere* explicat ipse §. 21. *Status externus perficitur comparatione bonoris*, *jucunditatis*, & *rerum externarum*. *Natura obligamur ad comparationem bonoris*, *jucunditatis*, & *rerum externarum*. Hæc Wolfio est animæ, corporique perfectio, ad quam natura obligamur. Scilicèt perfectio boni merè naturalis, quæ quidem, aliquo intercedente impedimento, non modò omittenda, sed etiam fugienda sit. Ex his constat, aliundè esse eruendam veræ houestatis regulam, quàm a simplici natura.

CAPUT V.

De Veterum Philosophorum interna actuum honestate sententia.

INternam hanc in actibus humanis honestatem agnoviisse visi sunt Sapientiores Græci, & Philosophi Ethnici. Sic Aristoteles Lib. 3. Ethicorum cap. 5. naturali vi ingenii tribuit non minùs vera judicare, quàm voluntati bonum amplecti. *Is demum*, inquit, *benè natus*, & *benè animo est constitutus*, *cui hoc munus a natura datùm est*, *ut quasi aspectum quemdam habeat*, *quò verè judicat*, *atque id*, *quod verè bonum est*, *sequitur*. Isocratis etiam pulcherrimum, idque notissimum erat effa-

effatum : *omninò non ſperandum , ſi quid turpe feceris , te latiturum . Quamvìs enim lateas alios , tu tamen tibi malè conſcius eris .* Quod quidem cum illo Juvenalis Satyra 13. cum ſonat .

Exemplo quodcumque malo committitur , ipſi
Diſplicet auctori : prima eſt hæc ultio , quòd ſe
Judice nemo nocens abſolvitur , improba quamvìs
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam ;
Stat contra Ratio , & Secretam garrit in aurem ,
Ne liceat facere id , quod quis vitiabit agendo .

Atque principium hoc honeſtatis adeò ſibi intimum arbitrabantur Ethnici Philoſophi , ut Tullius dixerit Lib. 1. de Legibus : *Si omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus , num idcircò hæ leges juſtæ haberentur ?* Rurſus bonitatem ipſam legis ad internam hanc conformitatem revocat , ut illam examinet : *Nos legem bonam a mala , nulla alia , niſi naturæ , norma dividere poſſumus : nec ſolùm jus , & injuria naturà dijudicatur , ſed omninò omnia honeſta , ac turpia ; Nam , & communis intelligentia nobis notas res efficit , eaque in animis noſtris inchoavit , ut honeſta in virtute ponantur , in vitiis turpia . Hæc autem in opinione exiſtimare , non in natura poſita , verè dementis eſt.* Quinimò de virtute ipſa diſſerens , paulo poſt ſubdit , non ad extrinſecum aliquod judicium , ſed ad naturam ipſam eſſe confugiendum : *Eſt enim virtus perfecta ratio : quod certè in natura eſt : Igitur omnis honeſtas eodem modo . Nàm ut vera , & falſa , ut conſequentia , & contraria , ſua ſpontè , non aliena judicantur ; ſic conſtans , & perpetua ratio vitæ , quæ eſt virtus , itèmque inconſtantia , quod eſt vitium , ſua naturà probatur .* Tota igitur regula honeſtatis a natura , & quidem ut ratione prædita , eſt repetenda . Quod etiam tradit apertè Cicero lib. 1.

de

de officiis: *Nec verò illa parva vis Naturæ eſt, Rationiſque quod ſentit, qui ſit ordo, quid ſit, quod deceat in factis, dictiſque ne quid libidinosè, aut faciat, aut cogitet: quibus ex rebus conficitur honeſtum, quod, etiamſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit; quodque verè dicimus, etiamſi a nullo laudetur, laudabile eſſe naturà.* Quibus clariſſimis Philoſophorum Ethnicorum poſitis teſtimoniis, non video, quomodò Puffendorfius, qui totus cœteroquìn eſt in exſcribendis illorum ſententiis, docere velit, honeſtatem non eſſe rei ipſi intrinſecam, & aliundè, quàm a convenientia cum rationali natura, eſſe petendam.

CAPUT VI.

Puffendorfii ſententia de Lege honeſtatis regula.

DIſplicet Puffendorfio, aliquam admittere honeſtatis regulam, a Lege independentem. Advertit nihilominùs, aliquid eſſe in ipſa natura, undè talem homini Legem Deus imponere deſtinarit. Ait proindè Lib. 2. de Jure Naturæ, & Gentium cap. 3. §. 14. *Nos noſcere legem naturalem, ſi naturam ipſam humanam, conditiones, inclinationeſque accuratiùs contemplemur, & etiam alia, quæ extrà hominem ſunt, & in primis ea, quæ ad commodum, aut incommodum eidem conciliandum apta ſunt. At verò lex hæc liberè a Deo poſita eſt homini: nàm Deus liberè ſe determinavit ad hominis felicitatem volendam; & legis obſervatio ad naturam, & conditionem hominis ità quadrat, ut ex illa hujus incolumitas, & felicitas, ſicuti ex ejuſdem neglectu calamitas, miſeria, & deſtructio dependeat.* Sic in Specimine Controverſ. cap. 5. *Natura humana fundat convenientiam aliquam ad talem legem habendam, quatenùs ex tali lege oritur ejus felicitas. Nobis*

autem

autem de tali lege constat, quia scimus, Deum humanæ naturæ voluisse felicitatem.

Sed peto a Puffendorfio, quid tandèm vulgus efficiet, qui talia se a Deo habere ignorat? Respondet Lib. 2 de Jure Naturæ, & Gentium cap 3. *Vulgus legem naturæ ex populari informatione, usque publico haurire solet: eique ad ejusdem certitudinem satis esse debet auctoritas Superiorum, qui illam in Civitatibns exerceri curant, & quòd ipsi rationes probabiles desint, quibus ejusdem veritas labefactari, aut convelli possit, & quòd præsentem ipsius utilitatem quotidiè deprehendit.*

Sed contra est, quod Juris Naturalis sunt isti fontes luculenti, nempè, *usus aliorum, & propria utilitas.* Quid? si usus, proùt contingit, frequentior sit de inhonestis patrandis, & utilitas magisterio sensuum percipiatur? Profectò non hominum erit societas, sed bestiarum.

Postremò objicit sibi Puffendorfius: *Quid est; quòd in pueris, & rudi vulgo magna deprebcnditur facilitas æquum ab iniquo discernendi.* Respondet illicò, *id ex assuetudine provenire, dùm a teneris annis, & statìm, atque usum aliquem rationis exerunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, hæc pœnam sequi; quorum quotidianum exercitium, & totius vitæ communis compages, ad istum modum digesta, ità animos disponit, ut paucis dubitare succurrat, an alitèr ista fieri possint.*

Hæc tamen solutio objectionis illius; vel ipsis Protestantibus displicuit, qui eam sententiam erroneam vocant, quia Sacris Litteris, & experientiæ repugnat. Nam D. Paulus in Epistola ad Romanos cap. 2. ut alibi diximus, ait: *Gentes*, quæ nullam legem positivam acceperunt, naturalitèr multa facere, quæ Judæis erant a Deo præcepta; nec, ait, Apostolus ex aliorum institutione, id eos facere, *sed ostendere opus*

legis

legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum. Rurſùs experientia docet, quemlibet conſiderantem ſe, ipſum aliquod interiùs principium ſentire: ex quo colligimus, hominem inter homines agentem ſuo ingenio, citrà aliorum inſtitutionem, quod juris naturæ ſit, poſſe cognoſcere. Non innaſcuntur quidem menti juris naturalis præcepta ad modum diſtinctorum, & actualium principiorum; atque etiam fatendum eſt, bonam educationem valere plurìmum ad excitandos juris in natura poſiti igniculos, & in alteram partem corruptelas morum non parùm cònferre ad eos extinguendos.

Solvuntur objectiones Puffendörfii.

Primò. Si ponamus pro norma honeſtatis convenientiam cum natura rationali, non voluntatem Dei præcipientis, aut vetantis, licebit ita colligere argumentando: *Hæc actio congruit cum excellentia, & dignitate hominis: ergò eſt honeſta, & ideò facienda: ſed in obſcuro adhuc eſt, & in quonam illa excellentia conſiſtat, & qua cauſa ſit, cur ea homini competat. Si quis Sacerdoti dicat: Non decet te in ganeis, & popinis volutari, quia hoc repugnat dignitati ſacerdotis, verum quidem dicit: ſed non ideò ultimam rationem, & poſt quam dubio non ampliùs locus ſit, expreſſit.*

Reſpondeo. Si naturam rationalem conſideremus ex una parte, ex alia proprietates vel objecti, vel actus moralis, intelligimus illicò inter utraque illam convenientiam, ideòque jam habemus de honeſtate actionis optimam ſcientiam. Quærere autèm in quonam illa naturæ humanæ excellentia conſiſtat, & cauſam, cur ea actio homini competat, eſt quærere naturam ipſam hominis, & actionis, de qua nequit dari ulla

ratio a priori ; ut inter Philoſophos receptum eſt axioma. Exemplum de Sacerdotis dignitate, an benè poſſit ad naturam intrinſecam rerum aptari ; videant boni Philoſophi.

Secundò objicit. *Improbè Deum cum creatura parì paſſu ambulare dicitur, dùm dicitur : quodvis ens intelligens, ſivè Deus ſit, ſivè creatura, rectè judicat actum gratitudinis eſſe honeſtum, quia in ſe, & antecedentèr ad rectum judicium talis eſt. Nam de creatura hoc verè aſſeritur : ſed dicere, aliquid ſe antecedentèr habere ad rectum judicium Dei, eſt a creatione iſtius ipſum excludere.*

Reſpondeo. Vel ſermo eſt de judicio Divini intellectus, & nullum eſt abſurdum dicere, antecedentèr ratione ad Divinum judicium actum eſſe honeſtum. Non enìm ideò actus eſt honeſtus, quia Divinus intellectus ità judicat ; ſed e converſò, ideò judicatur a Divino intellectu honeſtus, quia reverà eſt honeſtus. Vel ſermo eſt de actu humano honeſto; & hujus actus honeſtus, quamvìs non concipiatur antecedentèr ad naturam ipſam rationalem, tamen poſito, quòd rerum eſſentiæ cognoſcuntur a Divino intellectu, proùt ſunt in ſe ipſis, & Divinus intellectus eas repræſentat, ſequitur, convenientiam iſtam inter binas illas naturas conſurgere antecedentèr ad Divinum intellectum. Neque enim binæ illæ naturæ congruunt, quia Divinus intellectus ità judicat, ſed e contrariò.

Tertiò objicit. *Si Moralitas actionum humanarum, earumque habitudo, & convenientia cum conditione, & natura humana, non eſt a Divina impoſitione ; cum eadem non poſſit eſſe a ſeipſa, neceſſe eſſe, ut ſit a principio aliquo extra Deum... Si habilitas actionum, ſecundùm quam neceſſariò cum lege naturæ conveniunt, aut diſconveniunt, non pendet ab aſſignatione, & diſpoſitione Dei ; quis ergò alius, præ-*

ter Deum, naturas rerum formavit? Num ipſæ ſe ſe tali modo effinxerunt? Nimirùm id agi apparet, ut munere Creatoris Deus dimoveatur, & res etiam, quoad eſſentiam, a Deo dependere negentur.

Reſpondeo. Puffendorfium malè confundere, quæ pertinent ad intellectum Divinum, quæque ad Divinam voluntatem. Creare res eſt Divinæ voluntatis liberè decernentis exiſtentiam rerum: quod quidem decretum ab intellectu Divino, poſſibilia omnia, eorumque naturas repræſentante, dirigitur. Nihil igitùr, quod actualem habet exiſtentiam, a Divina creatione excluditur. Verùm naturæ rerum ſunt neceſſariæ, nec niſi abſurdè a voluntate Divina pendere concipiuntur: & intellectus Divinus eas neceſſariò cognoſcit, proùt ſunt in ſe, ſeù proùt eſſent, ſi a Divina voluntate daretur illis exiſtentia: hoc enim dicit illud: *eſſe cognitum a Divino intellectu*. Hæc autem neceſſitas, quoad Divinum intellectum, nullum infert inconveniens. Nàm de omni veritate neceſſaria Deus neceſſarium habet judicium, ſivè ſit de re increata, ſivè de re creata, ſivè ſpeculativa, ſivè practica, hoc eſt, operabili ab homine. Quod verò pertinet ad voluntatem Dei, ſi ſit ſermo de ſimplici affectu complacentiæ, vel diſplicentiæ; etiam hunc poteſt Deus neceſſariò habere circa illud, quod judicat eſſe per ſe bonum, aut per ſe malum; maximè ſuppoſita voluntate libera, quam habet creandi hominem.

Reponit Puffendorfius. *Judicio Dei natura, & conditio hominis ita formata eſt, ut, verbi gratia, gratitudo ipſi omninò conveniret. Ergò illa non magìs antecedentèr ſe ad judicium Dei habet, quàm proportio, & diſpoſitio partium ædificii ad judicium architecti, aut capacitas, & figura ollæ ad judicium figuli.*

Reſpondeo. Malè eum ratiocinari; cum a re c[illegible]-

tingente, cujusmodi est olla, aut ædificium, ad necessariam, de qua differimus, nulla sit consequentia.

CAPUT VII.

Impia Spinosa, & Hobbesii Systemata de regula honestatis.

HOrret animus illa referre impia systemata, quæ Spinosa, & Hobbesius, monstruosa scilicèt ingenia, excogitarunt. Benedictus quidèm Spinosa in Tractatu Theologico Politico cap. 16. & part. 4. Ethices docet propositione 18. *Hoc principium, quòd unusquisque suum utile quærere tenetur, virtutis, & pietatis est fundamentum.* Et propos. 45. has evomit horrendas blasphemias: *Nihil, nisi torva, & tristis superstitio, delectari prohibet. Nàm quì magìs decet famem, & sitim extinguere, quàm melancholiam expellere? Mea hæc est ratio, & sic animum induxi meum. Nullum Numen, nec alius, nisi invidus, mea impotentia, & incommodo delectatur; nec nobis lacrymas, singultum, metum, & alia hujusmodi, quæ animi impotentis sunt signa, virtuti ducit; sed contrà, quò majori lætitia afficimur, eò ad majorem perfectionem transimus, hoc est, eò magìs de Natura Divina participare necesse est. Rebus itaque uti, & iis, quantùm fieri potest, delectari (non quidèm ad nauseam usque, nàm hoc delectari non est) viri est sapientis; viri, inquam, sapientis est, moderato, ac suavi cibo, & potu se reficere & recreare, ut & odoribus, plantarum virentium amænitate, ornatu, musica, ludis exercitatoris, theatris, & aliis hujusmodi, quibus unusquisque absque ullo alterius damno uti potest. Corpus namque humanum ex plurimis diversæ naturæ partibus componitur, quæ continentèr novo alimento indigent, & vario, ut*

totum

totum corpus ad omnia, quæ ex ipsius natura sequi possunt, æquè aptum sit, & consequentèr ut mens etiam apta sit ad plura simùl intelligendum. Hoc itaque vivendi institutum, & cum nostris principiis, & cum communi praxi optimè convenit. Quarè, si qua alia, hæc vivendi ratio optima est, & omnibus modis commendanda, nec opus est de his clariùs, ac prolixiùs agere.

Nimirùm optimum perfectionis genus, & optima vivendi ratio est rebus uti, & iis delectari, non ad nauseam, nec cum alterius detrimento. Hoc utiquè Epicuri de grege porcus iste Spinosa cum Horatio canit Lib. 1. Satyra 3.

Sola est utilitas justi propè mater, & æqui.

Non dissimilia habet Thomas Hobbesius in suo Libro *Leviathan*, seu de Republica, & in Libro de Cive, ubi honestum utilitate metitur, & voluptate. Cap. 15. sui Leviathan ait: *Fundamentum omnium legum naturalium naturæ est conservatio.* Et cap. 27 *Si quis tamèn bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione immaginatus tantùm fuerit, absque omni intentione, vel consilio per fraudem, aut vim ea occupandi, peccatum non est, neque præcepti, non concupisces, violatio. Nàm jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale est, ut lex, quæ id probiberet, etiam hominem esse probiberet...* In quibus sententiis merum videas Epicurum.

DISPU-

DISPUTATIO II.

Quænam ſint principia effectiva intrinſeca, & impulſiva actionum moralium.

CAPUT PRIMUM.

De principiis intrinſecis effectivis.

DUo ſunt principia intrinſeca effectiva actionum moralium, intellectus, & voluntas. Intellectus eſt potentia animæ rationalis, quæ objecta per ſpecies propoſita apprehendit, & vel immediatè enuntiando, vel mediatè diſcurrendo judicat illa eſſe naturæ ſuæ convenientia, vel diſconvenientia. Dicitur potentia, utputè facultas tàm activa ad efficiendos, quàm paſſiva ad recipiendos ſuos actus, hoc eſt, intellectiones. Dicitur objecta apprehendens per ſpecies, nempè ſpiritualia per intellectuales, materialia per materiales, proptereà quòd ejus objectum ſit ens omne, & quidquid rationem entis quoquo modo verè participat; ipſe verò per ſe ſit indifferens ad hæc objecta, vel illa intelligenda, &, ut intelligat hæc potiùs, quam illa, ab his potiùs, quàm illis determinari debeat, vel a ſpeciebus ipſorum vicariis.

Quamquàm verò intellectus radix eſt libertatis, cum motiva proponat allicientia, & abſterrentia; non tamen eſt potentia formalitèr libera: quia penes hominem non eſt objecta alitèr apprehendere, quàm ea per ſpecies intellectui repræſententur, & ſi propter

ptèr ſuam imbecillitatem poſſit errare in judicio ferendo.

Idcircò autèm intellectus dicitur, & eſt principium efficiens actionis moralis, quia de rebus agendis judicat, vel omittendis, utrùm rectæ rationi, ſeu primæ regulæ ſint conſentaneæ, an ab illa recedant: diciturque hoc judicium *conſcientia*, de qua in ſequentibus agendum erit; nunc hæc prælibamus. Quatenùs igitùr hoc judicium diſtinguit bonum a malo, appellatur notitia principii practici, quod inditum nobis eſt, vel naturæ lumine, vel divina revelatione; exempli cauſa, neminem eſſe lædendum. Hoc judicium a Græcis dicitur *συνπέρησις*: Quatenùs autem hoc judicium applicatur actioni ſingulari, dicitur *συνείδησις*. Id quod apparet in hoc ſyllogiſmo: Proximum lædere eſt inhoneſtum: atqui ſi hoc facerem, proximum læderem: Ergo agerem inhoneſtè. In hac concluſione judicium eſt, diciturque conſcientia practica, & antecedens, quia verſatur circa actionem, hic, & nunc faciendam, vel omittendam. Quòd ſi minor propoſitio eſſet hoc modo concepta: Sed ego læſi proximum; & conſequens eſſet: Ergò inhoneſtè feci: conſcientia eſſet ſpeculativa, & conſequens, ſivè remorſus malæ conſcientiæ.

Puffendorfius docet, intellectum duplicitèr conſiderari poſſe, prout nempè verſatur circa univerſalia, cujuſmodi tradi ſolent in diſciplinis, ac ſcientiis; & hoc modo intellectum appellat theoreticum, deindè ut verſatur circa ſingularia, cujuſmodi ſunt actiones humanæ cum ſuis circumſtantiis; & hoc modo intellectum practicum nominat. Jura dicit ad illum pertinere, ad hunc vero facta. Addit Puffendorfius, judicium de actionibus futuris, an, & quomodò ſuſcipiendæ ſint, dici conſultationem, cujus habitus eſt

pru-

prudentia; examen de præteritis, ſintne rectè factæ, an ſecùs, vocari judicium, ſi ſit de actionibus alienis; ſi de propriis conſcientiam.

Objectum formale intellectus eſt verum; actus ipſius negantes, vel affirmantes; media cognoſcendi ſunt ſpecies, & habitus. Species eſt imago objecti vicaria, ſeù qualitas ab objecto emiſſa, vel aliundè immiſſa, tùm ut potentiam determinet ad certum objectum, tùm ut eamdem compleat in ratione potentiæ, hoc eſt, ut efficiat potentem proximè elicere cognitionem talis objecti. Alia eſt intelligibilis, quæ ſpectat ad intellectum, alia ſenſibilis, quæ ad ſenſus pertinet, &, ſi pertinet ad ſenſum internum, phantaſtica dicitur, ſi ad externos, dicitur viſibilis, tactilis, auditiva &c. & utraque intentionalis vocatur. Exiſtere in rerum natura ejuſmodi ſpecies, experientia docemur obſcuræ Cameræ, teleſcopii, & aliis hujuſmodi. Conſtat etiam ex eo, quòd ſit indifferens intellectus ad hæc objecta, vel illa. Habitus, ita dictus ex èo, quòd potentia benè, vel malè ſe habeat ad ſuos actus, eſt facilitas in potentia ad operandum per actus frequentatos acquiſita Conſtat eam in intellectu interdùm eſſe, ſivè a ſpeciebus intentionalibus diſtincta ſit, ſivè non. Hoc enim eſt in controverſia poſitum apud Philoſophos iſta minutè diſcutientes.

Alterum principium actus moralis eſt voluntas. Eſt autèm voluntas potentia, qua appetimus bonum, vel malum fugimus, ab intellectu propoſitum. Voluntatis objectum, quoad actus appetitionis, eſt bonum, aut verum, aut apparens; quò ad actus fugæ, eſt malum, aut verum, aut apparens. Bonum appetibile triplex eſt, honeſtum, quod eſt rationi conſentaneum; delectabile, quod ſenſibus gratum; utile,

quod

quod tamquàm medium refertur ad honeſtum vel delectabile. Voluntati convenit plena libertas : verumtamèn hæc ſe non extendit ad objectum in genere : nàm & bonum, qua bonum, neceſſariò appetit, & malum, qua malum, neceſſariò averſatur, ſaltèm neceſſitate quòad ſpeciem, ſi ei proponatur bonum præciſivè purum, ſeu tale, in quo poſitivè non apparet omnis, ſed tamèn aliqua bonitas, præſcindendo, an hæc aliqua bonitas pura ſit ſine mali admixtione, & an ſit infinita. Dixi *quò ad ſpeciem* : Siquidem bonum ita propoſitum non neceſſitat, quò ad exercitium, cum in eo non appareat motivum neceſſitans. Voluntas igitùr tunc habet ſaltèm rationem ſuſpendendi amorem. Si voluntati proponatur bonum poſitivè purum, ſeu quod clarè cognoſcitur, ut includens omne bonum ſine ulla admixtione mali, voluntatem neceſſitat, etiam quòad exercitium. Hinc etiam in motibus primò primis, & actibus indeliberatis non modò appetitus ſenſitivus, verùm etiam voluntas neceſſariò fertur in tale bonum per complacentiam & amorem, antequàm intellectus apud ſe reputet convenientiam ipſius boni, vel diſconvenientiam cum ratione, vel Dei Lege. Si quandò autem voluntas videtur malum appetere, non illud appetit, quatenùs malum eſt, ſed ſub ratione boni apparentis. Eſt enim axioma Philoſophorum : *Nemo intendens ad malum operatur*. Poteſt tamèn voluntas libertate indifferentiæ ex duobus bonis æqualibus unum præferre alteri ; imò ex inæqualibus præhabere minùs bonum majori ; cum ad libertatem indifferentiæ non plus requiratur, quàm ut ratione boni utrumlibet poſſit amari, & neutrum debeat. Actus voluntatis aut ſunt eliciti, aut imperati: Eliciti fiunt immediate a voluntate: ex his aliqui verſantur circa finem, ut volitio,

quæ objectum ſimplicitèr approbat; intentio, ſeu prohæreſis, quæ juncta cum ratione efficaciter deſiderat; fruitio, quæ objecto obtento delectatur. Actus imperati ſunt, ad quos determinat ipſa voluntas. Ex his alii ſunt interni, ſeu ipſius voluntatis, & intellectus; alii externi, qui ab aliis potentiis per voluntatem motis proveniunt. Neceſſitas in actus elicitos cadere poteſt, exempli cauſa, ſi Deus neceſſitet voluntatem hominis ad eliciendum actum amoris. Coactio non poteſt, ut ſuperius a nobis probatum eſt. In actus imperatos cadere poteſt coactio; ut ſi, imperante voluntate mea potentiæ progreſſivæ ambulationem, conſtringar ab aliquo fortiore vinculis, & compedibus. Voluntas dicitur potentia cæca, adeòque moveri debet, ut agat, per intellectum. Ratio eſt, quia nil volitum, niſi præcognitum. Nulla enim potentia, quæ ſit indifferens ad operandum, vel non operandum, poteſt exire in actum ſecundum, niſi a ſuo connaturali determinante excitetur. Voluntas autèm eſt potentia per ſe indifferens, ejuſque determinans connaturale eſt intellectio proponens objectum. Non poteſt ergò voluntas naturalitèr operari, niſi præcedente cognitione excitetur, & aliquo modo determinetur ad operandum.

CAPUT II.

De principiis intrinſecis impulſivis actionum humanarum.

DUo ſunt, ſenſus internus, & appetitus ſenſitivus. Senſus internus eſt Animæ potentia materialis, cognoſcens objecta, actuſque ſenſuum, in cerebro reſidens, non in corde, ut Ariſto-

te-

teles docuit ; quia a cerebro nervi omnes originem trahunt; unde facilè poſſunt propagari ſpiritus neceſſarii , & recipi ſenſationes : imo quia malè affecto cerebro, corde quantumvis vegeto, deficiunt ſenſus interni, uti patet in phreneticis, & ebriis. Docti præterea magnum cerebrum habent , ſtupidi modicum . Senſus infernus, prout cognoſcit objecta præſentia , actuſque præſentes ſenſuum externorum , dicitur ſenſus communis ; prout conſervat ſpecies rerum abſentium , dicitur phantaſia ; proùt cognoſcit præterita , vocatur memoria ; proùt cognoſcit convenientiam , & diſconvenientiam objectorum , æſtimativa appellatur .

Alterum principium eſt appetitus ſenſitivus, hoc eſt animæ potentia materialis, quæ bonum proſequitur a ſenſu intĕrno propoſitum, vel malum fugit. Dicitur iraſcibilis , prout verſatur circa bonum quod difficultèr poteſt obtineri ; vel circa malum , quod difficultèr amoveri poteſt: dicitur concupiſcibilis, proùt verſatur circa bonum , quod facile poteſt obtineri , vel circa malum , quod facilè poteſt amoveri. Actus appetitus ſenſitivi dicuntur paſſiones, motus , affectus , eò quòd ex repræſentatione boni , malive ſenſibilis , anima patiatur, moveatur, afficiatur , ob adjunctam alterationem ſenſibilem , & affectionem in corpore . Quinque ſunt actus appetitus iraſcibilis , ira , ſpes , deſperatio, audacia, timor . Actus appetitus concupiſcibilis ſunt ſex , odium , amor, deſiderium, gaudium, dolor , fuga . Alii pauciores , alii plures recenſent . Objectum appetitus ſenſitivi eſt omne id , quod per ſenſum internum cognoſcitur , bonum, & malum ſenſibile , ſingulare , delectabile , arduum , noxium , utile , conveniens , vel diſconveniens . Ratio eſt , quia ſicut intellectum voluntas , ita ſenſum internum ſequi-

quitur appetitus. Ergò, ſicut voluntas omne id poteſt averſari, vel proſequi, quod cognoſcitur ab intellectu; ita & appetitus poteſt proſequi, vel averſari omne id, quod cognoſcitur a ſenſu interno. Senſus autem internus, ut paulò antè explicavimus, cognoſcit id omne, quod boni vel mali rationem habet, dummodo ſit ſenſibile.

Experientia conſtat, his duabus potentiis materialibus, nempè ſenſu interno, & appetitu ſenſitivo, excitari, moveri, & inclinari potentias animæ ſpirituales; nempè intellectum, & voluntatem, in ordine ad actus morales, ſalva tamen libertate indifferentiæ regularitèr loquendo. Hinc eſt, quòd ſæpe intellectus obluctetur cum appetitu ſenſitivo, qui ſolùm fertur in ea, quæ ſenſibus grata ſunt, etiam ratione contra nitente. Atque hæc eſt illa lucta inter rationem, & appetitum, de qua D. Paulus ad Rom. cap. 1. ſic habet: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: nàm velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.*

Affectus & motus appetitus ſenſitivi ſunt prorſus indifferentes, hoc eſt, nec boni nec mali moraliter. Excitantur enim ex repræſentatione boni vel mali ſenſibilis, & inditi ſunt a Deo auctore naturæ ad hominis conſervationem, pluraque alia bona ipſi præſtanda. Plerumque tamen ob naturæ humanæ depravationem degenerant, fiuntque mali, vel ratione objecti, quod vetitum eſt, vel ratione modi inordinati. Sic innatus cuilibet amor perfectionis ſuæ, & inde naſcentis exiſtimationis, ratione modi degenerat in odioſam ambitionem; innatus amor vitæ, & mediorum ad vitam degendam, incli-

nat

nat aliquando ad ſordidam avaritiam; inſitus amor voluptatis innocuæ ratione objecti, propellit in turpiſſimam voluptatem.

Cum iſtæ voluntatis inclinationes pro varia humorum permixtione in hominibus ſingulis diverſæ ſint, ac diverſo ordine una incurrat in aliam, hinc infinita oritur animorum, atque morum varietas. Hujus autem varietatis aliæ ſunt cauſæ phyſicæ, aliæ morales. Phyſicæ conſiſtunt in temperamentis, ſeu certa primarum qualitatum, hoc eſt, humidi, calidi, frigidi, ſicci mixtura, humorumque vitalium copia, ita ut a prædominante cholera cholerici, a ſanguine ſanguinei, a phlegmate phlegmatici, ab atrabile melancholici denominentur. Hæc temperamenta non ſolum varietate innata, ſed & adſcititia per remotiores cauſas, mirum quantum mutentur; quales ſunt, cæli ſolique genius, indoles parentum, educatio, victus, ætatis, & fortunæ conditio, quæ cauſæ omnes, uti ſolent variare temperamenta, ita & mores, propenſiones, ac ſtudia hominum diverſa efficiunt.

DISPUTATIO III.

De proprietate, quæ necessariò consequitur moralitatem actus humani, diciturque imputabilitas.

CAPUT UNICUM.

CUm imputabilitas fundamentum habeat in moralitate, veluti causa, hæc autem constituatur per libertatem voluntatis, ac advertentiam intellectus ad regulam directivam; tanta erit profectò imputabilitas, quanta libertas & advertentia. Nulla enim, vel Puffendorfio fatente, proprior est ratio, quarè alicui actio quædam imputari possit, quàm quia ab ipso, sciente & volente, mediatè, vel immediatè, profecta est; seu quia penès ipsum fuit, ut fieret, vel non fieret. Quarè si cognitio, vel consensus est tenuis, aut semiplenus, ut in dormiente aliquandò contingit, proportione sequitur imputabilitàs levis scilicet, ac dimidiata. Imputabiles non sunt actus, qui procedunt ex errore, ac ignorantia invincibili, seu facti, seu juris, etiam naturalis, ut est decretum ab Alexandro VIII. quia deficit advertentia. Contra imputabiles sunt, qui procedunt ex ignorantia vincibili affectata, crassà.

Imputabiles non sunt actus involuntarii, imo nec voluntarii, si sint necessarii, saltem *ad meritum*, & *demeritum*, ut actus Beatorum erga Deum, ut ultimum finem, hoc est amor, & fruitio; actus infantium, ebriorum, amentium, dormientium, &c. itèm expressi metu gravi, quò quis compellitur ad malum minùs præ majore, si

ſi ſit merè phyſicum: ſic nautæ non eſt imputabilis projectio mercium ob metum præſentem naufragii: Rurſus expreſſi vi ſaltem extrinſeca, ut ſi quis pugionem capulo illigans tuæ dexteræ, hanc ſua manu compellat ad occidendum innocentem. Dixi: *ſaltem ad meritum, & demeritum*. Nàm, ut actus imputetur ad pœnam in foro exerno, judicante juxta actum externum, ſatis eſt voluntarietas, etsì neceſſaria; ut ſi quis ex vehementia paſſionis precipiti non advertens motiva in contrarium, homicidium committeret.

Imputabilis eſt actus, quo quis occidit, exempl. gr. Cajum, nè occidatur a Titio. Nàm ſine jure innocentem occideret. Poteſt quidèm Titium occidere invadentem, modò faciat cum moderamine inculpatæ tutelæ; at Cajum non poteſt; quia non ſunt facienda mala moralia, ut eveniant bona phyſica, hoc eſt vitæ conſervatio, & tranquillitas. Errant Hobbeſius, & Puffendorfius, putantes eum, qui innocentem occidit, nudum eſſe inſtrumentum Titio.

Imputabiles ſunt actus ex metu, & ex concupiſcentia; qui affectus non tollunt advertentiam ad motiva in contrarium. Nàm minuunt quidèm libertatem, ſed non evertunt. Imputabiles itidèm ſunt actus etiam in voluntate aliena, ſed tamèn moralitèr propria, exempl. gr. Tutorum, Superiorum, Protoparentis Adami reſpectu peccati originalis.

Imputabiles ſunt actus voluntarii indirectè, & in cauſa. Sic homicidium, in crapula præviſum, eſt in cauſa imputabile. Qui enim vult cauſam, ex qua per ſe, & neceſſariò prævidetur ſequuturus effectus, vult effectum ipſum. Quòd ſi effectus per accidens prævideretur ſequuturus, & cauſa per ſe non eſſet prohibita, effectus foret merè permiſſus, adeòque non imputabilis: ut ſi quis habeat jus rigandi hortum

tum ſuum, eſto prævideat ex rigatione damnum alieni horti, hoc, ſi ſequatur, non eſt illi imputandum.

Imputabilis eſt effectus alicui ſcienti, nec impedienti, cum poſſit, ac debeat impedire, vel ex juſtitia, vel ex charitate, juxta illud Tragici auctoris.

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Submerſio Navis eſt imputabilis navarcho; negligenti directionem, ex qua negligentia prævidet ſequuturum naufragium. Imputandi ſunt deniquè actus omnes, quorum voluntas eſt cauſa, vel expreſſa, vel interpretativa, quandò nempè circumſtantiæ ſatis declarant conſenſum hominis, aut diſſenſum; ſeu cauſa ſit actualis, ſeu virtualis, hoc eſt moraliter perſeverans in actu; ſeu cauſa ſit phyſica, vel moralis, adjuvando, incitando, jubendo, aſſentando, exemplis movendo, ſuadendo, conſulendo, approbando; imò non reprobandò, vel non impediendo, non manifeſtando, cum poſſis, & debeas, juxta notos verſiculos.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Lege Naturæ, & Gentium.

CAPUT PRIMUM.

De ſtatu hominis naturali, & ejus proprietate.

STatus hominum naturalis eſt conditio hominum inter ſe æqualium, quatenus gaudent libertate, ſingulis inſita. Itaquè in ſtatu naturali dicuntur eſſe non ii modo, qui procul ab omni ſocietate in ſolitudine vitam agunt, ſed etiam illi, qui tametsi in ſocietate verſentur, nulli tamen extra ſuam ſocietatem ſubjecti ſunt, ut exempl. gr. Rex Poloniæ reſpectu Regis Hungariæ, Reſpublica Venetorum reſpectu Reipublicæ Batavorum. His enim ſtatus veriſſimè naturalis repræſentatur. Ac per hoc diſcernitur a ſtatu civili, in quo eſt neceſſaria dependentia, & imperium, ut ſocietas Civitatis, aut Reipublicæ, aut Regni conſervetur. Homines autèm, qui ſunt in ſtatu naturali, dicuntur eſſe inter ſe æquales, quia nullius, niſi creatoris, arbitrio aut legibus ſubjecti ſunt. Quod maxime apparet in Principibus ſummis, & in Civitatibus liberis, quarum unaquæque alterius legibus ſoluta eſt. Quare D. Joannes Chryſoſtomus commentario in Pſalmum 44. *Non Romanorum*, inquit, *Rex Perſis, aut Perſarum Rex Romanis ferre legem poteſt*. Et Arioviſtus Legato Julii Cæſaris, uti legitur Lib. 1. de Bello Gallico; *Si quid*, ait, *ipſi a Cæſare opus eſſet, ſe ſe ad eum venturum: ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere*. Hobbeſius putavit proprietatem ſtatus na-

turalis esse statum belli, propterea quòd natura hominis, per peccatum Adami corrupta, unumquemque compellat ad mala propulsanda, vel aliis inferenda, ut se præstet immunem: idque colligit partìm ex naturali amore, quo homo se ac sua defendit; partìm ex metu ne sibi noceant potentiores, sive vi, sive dolo, sive ambitione, sive avaritia stimulante. Sed vehementèr erravit. Non enim natura hominis usque adeò est depravata, ut cum impetu quodam in omne nefas abripiat. Cujus rei argumentum est; quòd homines non sint eodem modo ad nocendum propensi; sed alii magìs, alii minùs: nec semper contingat, ut improbi cum improbis fœdus ineant, ut proindè aliquandò improborum malitia proborum modestia superetur. Quis deindè non videat statum belli perpetui esse violentum, & cum recta ratione valdè pugnantem? cujus rationis est, animi motus incompositos *in* officio continere, & componere, avaritiam, libidinem, superbiam compescere, pacem denique cum proximo, & amicitiam Dei rectè vivendo conservare. Prætereà cum sit in omnibus hominibus eadem naturæ origo, omnesque naturæ propensione ad societatem ferantur, quæ radix est cujusdam inter omnes cognationis; necessariò sequitur, ut status hominis naturalis non belli sit, a quo abhorret societas, sed pacis, quam libentèr amplectitur. Quòd si non esset, deterior esset hominum conditio, quàm brutorum. Ut enim scribit Satyra 15. Juvenalis.

Parcit cognatis maculis fera: quandò Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore unquàm
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris alit rabida cum tigride pacem
Perpetuam, sævis inter se convenit ursis.

Quòd

Quòd ſi barbaræ quædam gentes inter ſe bellum continentèr gerant, & victores victos immanitèr vorent; id ex eo contingit, quòd rationis lumen aſſuetudine mali, & propter mores perditiſſimos in illis propemodùm extinctum eſt, ac ferè obliteratum illud principium. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Nemo autem ſibi vellet inferri bellum, &, ut ait Poeta, *pacem depoſcimus omnes*, in quibus nempè lumen rationis obſcuratum non eſt, & quietè vivere omnes cupimus.

Ipſa denique nocendi facultas, quæ eſt in natura propter peccatum originale vitiata, non probat, ſtatum hominis naturalem eſſe ſtatum belli. Qui enim cogitat, habere ſe facultatem nocendi, debet etiam cogitare, an ſibi ab hoſte ſit metuendum, nec ne. Debet ergo metiri vires ſuas. Si videt ſibi, atque hoſti æquales eſſe, timere debet exitum belli, Martemque communem. Non eſt autèm homini naturale, incertis caſibus vitam committere, vel fortunas ſuas. Si videt ſibi, atque hoſti vires eſſe inæquales, aut ipſe prævalet, aut videt alium prævalere. Si primum, non habet undè ſibi ſit metuendum ab inferiore. Ergo ſi rationis lumen ſequatur, non alium perſequetur augendæ potentiæ libidine. Si ſecundum, qui viribus inferior eſt, non audebit fortiorem lacеſſere. Si enim lacеſſeret, ſtultè ageret; at ſtultè non agunt, qui recta ratione utuntur.

Illud verò, quod tamquam certum aſſumit Hobbeſius; *Omnibus in omnia, & in omnes jus convenire ex inſtitutione Naturæ*, abſurdum videtur non modò Catholicis Doctoribus, ſed etiam ipſi Puffendorfio, qui Libro ſecundo de Jure Naturæ, & Gentium Capite ſecundo: *Implicare*, ait, *contradictionem, quòd, poſitis pluribus hominibus jure æqualibus, omnibus in omnia, & in omnes*

jus competat, cum utique unius jus ad omnia non possit non cæterorum jura absorbere, si effectum aliquem sit habiturum. Illud enim non minùs absurdum est, jus fingere, quod nullum effectum adversus alios homines obtineat. Nam in mortalibus non esse, & nullum habere effectum, idem ferè est. At quale jus est, cui alter pari jure possit resistere?

Minùs, quàm Hobbesius erravit, sed erravit tamèn in statu hominis naturali constituendo Puffendorfius. Sic enim ratiocinatur: *Homo, in statu naturali consideratus, post peccatum originale, conditionem habet miserrimam, vitamque ferè belluinam, sive ponatur infans, sive justa jam statura, ac robore præditus. Ergò indiget socialitate, per quam a statu illo miserrimo extrahatur*. In hoc argumento falsum est antecedens: Si enim homo ab ipso nativitatis exordio talem haberet naturam, qualem describit Puffendorfius, hoc est miserrimam, & belluinam, obnoxiam profundæ ignorantiæ, & effræni concupiscentiæ, nihil umquàm boni agere posset sibi relictus; Atqui potest aliquid boni facere naturalitèr, ut testatur Apostolus ad Romanos. *Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ Legis* (*intellige scriptæ*) *sunt, faciunt*. Non habet igitùr homo talem naturam, qualem describit Puffendorfius. Deindè quis posset in eo statu miserrimo primus condere leges socialitatis? Nam æque omnes profunda ignorantia, & effræni concupiscentia laborarent. Falsum est igitùr illud principium, quo utitur Puffendorfius, ut in naturali statu tàm horrido systema suum socialitatis constituere possit.

CAPUT II.

De essentia, & proprietatibus Juris Naturæ.

JUs Naturale respicit hominem, ut creaturam rationalem, ac definitur: *Ordinatio Divinæ Sapientiæ per dictamen rationis naturæ rationali manifestata, præcipiens rectæ rationi consentanea, & probibens dissentanea:* Per ordinationem Divinam significatur primariò Divina voluntas, quæ obligat rationalem naturam: per naturam rationalem subjectum, quod est omnis, & solus homo. Legitima est autèm divisio Juris Naturæ in affirmativum, cujus objectum est positio actus, qui præcipitur, & in negativum, cujus objectum est negatio actus, qui prohibetur. Hanc autem divisionem ineptè irridet Christianus Thomasius: Ineptè, inquam, quia homini, ut ita dicam, hesterno præferendi sunt antiqui Doctores, iique graviſſimi, & magno consensu docentes, præcepta affirmativa obligare semper, sed non pro semper, exèmpli causa, colere parentes data occasione; negativa verò obligare semper pro semper, exempli causa, non mentiri.

Multæ sunt proprietates Juris Naturalis. Prima universalitas quoad obligationem omnibus communem: Secunda est evidentia quoad principia saltèm prima, ita prorsùs, ut invincibilitèr ignorari non possit ex toto. Tertia excellentia, cum sit fons, & norma cœterarum legum. Quarta immutabilitas propriè dicta. Nàm Jus Naturæ est quidèm incapax mutationis veræ, quæ directè afficiat ipsam legem, ejusque obligationem, manentibus iisdem circumstantiis; sed tamèn est capax mutationis impropriæ tàm potestate humana, quàm Divina. In casu enim, quo materia

Ju-

Juris Dei poteſtati ſubjecta ſit, ut eſt Dominus abſolutus, non alitèr obligat lex Naturæ, quàm hac ſuppoſita conditione. *Niſi Deus, ut abſolutus Dominus via extraordinaria alitèr diſponat*. Sic alitèr diſpoſuit, cum Iſaac juſſit occidi, materiam eximendo, hoc eſt faciendo, ne occiſio Iſaaci eſſet materia præcepti negativi: *Non occides*. Hanc autèm mutationem materiæ perperàm dicunt aliqui diſpenſationem. Nàm diſpenſatio eſt exemptio alicujus ab obligatione, quam lex inducit; ac fit ab ipſo Legislatore. Porrò hæc mutatio materiæ locum non habet in iis, quæ materiam continent non ſubjectam arbitrio, ſeu poteſtati Divinæ; exempli cauſa, idololatriam, & mendacium, & cœtera, quæ per ſe mala ſunt, & cum ratione eſſentialitèr pugnant, imò cum fine, quem Deus auctor Naturæ initio præſcripſit rationali creaturæ. Quando quidèm iſta ſi aliquandò per Deum *licere poſſent*, *in* Deo labem & defectum arguerent: quod cogitare nefas eſt.

Quòd ſi materia Juris Naturæ ſubjecta ſit humanæ poteſtati, non inducitur a Jure Naturæ obligatio abſoluta, ſed conditionata, quam proinde poteſtas humana *tollere poteſt*. Humana igitùr poteſtas mutare illam poteſt, non quidèm propriè, ita ut directè auferat obligationem legis Naturalis, ſed tamèn impropriè, ita ut indirectè faciat remiſſionem ex parte materiæ: exempli cauſa, lege naturali præcipitur homini, ut rem præſtet, quam contractu valido ſit pollicitus, ut jusjurandum obſervet, ut votum, quod emiſit, adimpleat. Hæc lex obligat naturalitèr quidem, ſed conditionatè, hoc eſt, niſi Princeps, aut Superior juſta de cauſa contractum diſſolverit, juramentum, aut votum relaxaverit.

DISPU-

DISPUTATIO V.

De principio cognoscendi Juris Naturalis, hoc est, quid præceptum, quid vetitum sit Jure Naturæ.

CAtholici Jure Consulti, ac Theologi consensu docent, id esse præceptum, vel prohibitum Jure Naturæ, quod esse præceptum, vel prohibitum expedit felici statui naturæ humanæ; id autèm dicunt expedire, in cujus licentiam, vel prohibitionem omnes homines consensissent, si, antequàm quidquam eorum fieret, quæ licita vel prohibita dicuntur, ab auctore Naturæ postulati suffragium tulissent. Hanc regulam Doctores petunt ab intrinseco fine legis Naturalis, hoc est, felicitate creaturæ rationalis.

Puffendorfius hanc regulam ponit, velùt principium cognoscendi Juris Naturalis: cuilibet homini colendam societatem cum aliis, indoli & scopo generis humani congruentem. Ex quo principio Thomasius hoc axioma deduxit: *fac ea quæ necessariò conveniunt cum vita hominis sociali, & quæ eidem repugnant, omitte.* Argumenta illorum sunt. Primò Homo est animal, ut conservandi sui studiosum, ita non valens id assequi, ut se conservet, sine ope similium: ut ad mutuas utilitates curandas & comparandas idoneum, sic ad eas ab aliis prohibendas malitiosum. Ergò ut sit salvus, & incolumis, debet amare, & quærere societatem: atque ut odium aliorum devitet, qui ejusdem malitiam cognoscere possunt, opus habet lege societatis, tamquàm fræno malitiæ suæ, & odii alieni. Quidquid igitur favet societati, id omne pertinet ad Jus Naturæ.

Ad

Ad hoc argumentum facilè reſponderi poteſt, illam impotentiam ſe conſervandi, illam malitiam nocendi, illam opis alienæ indigentiam, quam tantoperè Puffendorfius exaggerat, non eſſe tantam, ut ex ea colligi poſſit, ineſſe ſingulis hominibus neceſſitatem abſolutam ſocietatis colendæ. Fateor quidem neceſſitatem colligi indeterminatam colendæ alicujus ſocietatis, ſaltèm conjugalis, ſaltèm pro toto genere humano collectivè, non diſtributivè, ita ut ſinguli homines debeant inire conjugium. Falſum præterea eſt, quod Puffendorfii principio addit Thomaſius lib. 1. cap. 3. nimirum in homine quoad corpus imbecillitatem non modò animalibus brutis majorem, ſed etiam tantam, ut neceſſariò periret, niſi aliis hominibus ineſſet obligatio illi opitulandi, in animo majorem pravitatem nocendi aliis, quàm ſit in belluis.

Poſtremò non eſt præcepta ſocietas ſingulis hominibus; cum innumeros videamus, qui vitam degunt ſolitariam, nec tot incommodis obnoxii ſint, quot prædicat Puffendorfius. Non eſt ergò ſocietas proprium & adæquatum principium, unde colligi poſſint objecta Juris Naturalis.

Sed eſt ratio potiſſima, quàm ſuperius innuimus, cur Puffendorfii Syſtema rejiciatur, nempè quòd ii, qui ſocietatem colunt, non tantùm ſociis præſtare debent officia, ſed etiam Deo. Jus enim Naturale, dictante ratione, hominem dirigit ad cultum Deo præſtandum: de quo cultu non videtur curare Puffendorfius.

Argumentum ſecundum Puffendorfii eſt hujuſmodi: Homo eſt animal natura ſua ſociabile, ac proindè ſermone præditum, hoc eſt facultate communicandi & negotiandi cum cæteris ſuæ ſpeciei; quod etiam apparet, inquit Vitriarius Puffendorfii aſſecla, ex principiis practicis, quæ unuſquiſque in ſemetipſo cer-

certissimè agnoscit, ac sunt, honestè vivere, neminem lædere, jus suum cuique tribuere: quorum exnem lædere, jus suum cuique tribuere : quorum extra societatem nullus est usus, quæque essent frustranea, nisi ad societatem essemus nati: Est ergò societas principium juris Naturæ.

Ad hoc etiam respondeo, posito quòd a Deo decretum fuerit, ut genus humanum propagaretur, societatem esse humanæ Naturæ necessariam in genere, non tamèn in omnibus distributivè; ideòque ab illa simplicitèr non posse colligi objecta juris Naturæ. Hoc ergò principium societatis humanæ caret legitimis proprietatibus veri principii. Primò non est principium primum. Nàm socialitas, seu inclinatio naturalis ad vitam socialem ob consequendas, quas illa parit, utilitates, est effectus amoris, quem sibi quisque naturalitèr debet, ut neccssarium ad felicitatem naturæ comparandam, hoc est, ad se conservandum, & ad speciem propagandam. Ex quo sequitur socialem vitam, saltem conjugalem, esse de jure naturæ præceptivo, sed indeterminato, quippè quòd obliget humanam speciem, non singula individua. Amor autèm, quem sibi quisque naturalitèr debet, ut necessarium ad felicitatem naturæ comparandam, obligat singula individua humana determinatè. Ergò amor sui est primum principium, non socialitas. Secundò illud Puffendorfii principium est inadæquatum, cum ex eo non colligantur officia hominis erga Deum, atque se ipsum, ut alias diximus.

Alii aliter probant, socialitatis principium nec esse primum, nec adæquatum hoc modo: Adamus ante omnem societatem, hoc est, antequam Eva produceretur ex una de costis ejus, jure naturæ obligabatur ad præstanda officia erga Deum, atque se ipsum: idemque dicendum de tot Anachoretis, qui vixerunt in

ſolitudine, ac vivunt. Fuit ergò in Adamo aliud principium ante principium ſocialitatis. Similitèr Anachoretæ aliud principium ſocialitate priùs, magiſque immediatum reſpexerunt, quo officia ſua dirigerent erga Deum, atque ſe ipſos.

Reſpondent quidem Puffendorfii defenſores, in Adamo ante omnem ſocietatem fuiſſe ſaltem reſpectum ad ſocietatem futuram; in Anachoretis fuiſſe & eſſe reſpectum ad ſocietatem præſentem, qui reſpectus imo fuerit fundamentum officiorum erga Deum, & ſe ipſum, quæ in illo ſtatu etiam ſolitario præſtanda fuiſſent, ne ſe inutiles redderent ſocietati, ſi quando ad illam ſe adjungerent. Verùm nemo eſt, qui non vìdeat, ex hoc reſpectu directè non colligi, ac neceſſariò officia erga Deum, atque ſe ipſum, ſed per accidens tantum, & indirectè. Quod ſatis non eſt ut primum principium juris naturæ in ſocialitate conſtitui poſſit.

Tertiò non eſt principium verum, cum falſa multa ſupponat, quæ ſunt ejus principii fundamentum. Supponit primò, extra ſocietatem nec umquàm fuiſſe naturæ jus, nec eſſe poſſe. Quod falſum eſſe, in Adamo, & Anachoretis, perſpicuum eſt. Ratio eſt, quia jus naturale, licèt bonum commune naturæ humanæ reſpiciat, non verò hominum ſingulorum; tamèn intendit priùs, hominem informare de iis, quæ ad Creatorem pertinent, ac ſe ipſum, officiis, quàm de officiis ergà hominum ſocietatem. Itaque jus naturale primò bonum hominem conatur efficere, deindè bonum ſocium. Præterea poſſet humana natura propagari per ſocietatem duntaxàt conjugalem, etiamſi nec civitates, nec provinciæ, nec regna in unam coirent ſocietatem.

Supponit ſecundò, hominem poſt Adami peccatum,

tum, in eas miſerias, & calamitates incidiſſe, a quibus ipſe recreari non poſſit, niſi aliorum hominum conſuetudine, atque convictu: Status igitur ſolitudinis non eſt homini naturalis. Primum igitur juris naturalis principium eſt ſocialitas. At id quoque falſum eſt. Status quippè ſolitudinis eſt maximè ſuavis, atque jucundus hominibus illis, qui cupiunt Deo vacare, eumque liberiùs contemplari. Quod ipſi veteres Philoſophi, quantumvìs Ethnici, & ſcriptis, & opere teſtati ſunt, qui genus hoc vitæ ſuſcepe-runt. Ad hæc, ſi primum principium juris naturalis eſſet vita ſocialis, contra jus naturæ feciſſent, adeòque peccaſſent innumeri illi Anachoretæ, quos admiratur & veneratur Eccleſia univerſa. Id autem dicere abſurdum eſt.

Supponit tertiò, juris naturæ finem, quem ſibi quiſque in agendo proponere debeat, eſſe externam felicitatem Reipùblicæ, quæ ſit terminis circumſcripta præſentis vitæ. Sed eſt hic error manifeſtus. Finis enim, ad quem fertur natura, eſt integra & adæquata felicitas; quæ ſita eſt potiſſimum in cognitione, & amore Creatoris, naturæ ipſi congruente, tùm in hac, tùm in altera vita; qui amor proculdubiò a ſocietate non pendet. Quod fatetur Leibnitius ipſe, qui propterea ſocialitatis principium a Puffendorfio traditum in præcipua parte juris naturæ inutile, & mancum appellavit.

Itaque dico, principium ſocialitatis Puffendorfianum eſſe etiam flagitioſum, ideòque minimè aptum ad jus naturæ cognoſcendum. Tollit enim ſolitudinem vitæ, velut oppoſitam juri naturæ; invehit modum cogitandi & agendi indignum ſanè natura rationali, hoc eſt ſpectando dumtaxat Reipublicæ bonum, & exteriorem felicitatem: nihil verò eſt ſolli-

citus Puffendorfius de affectibus animi, nihil de homine interiore, nihil de honesti principiis. Quibus omnibus neglectis, jus naturæ fit mancum, & imperfectum, dignitas hominis ad externa deprimitur; studium virtutis, & cultus Dei langueſcit; non expectatur a Deo rectè factorum præmium, non timetur pœna vitiorum. Hùc tendit nempè syſtema Puffendorfii.

Sed opponunt aſſeclæ illius. Jus naturæ in externis tantummodò verſatur, eaque reſpicit: interna, quibus animi tranquillitas gignitur, non curat, ſed morali Philoſophiæ informanda relinquit; doctrinam de amicitia cum Deo conſervanda, deque cultu, qui eidem, ut Domino & creatori debetur, ritè adhibendo, naturali Theologiæ tractandam permittit. Porrò hic ordo ſervatur a Puffendorfio, ne ſit confuſio in diſciplinis tradendis, & ut ſua cuique materia aſſignetur.

Reſpondeo. Tamèn, hoc eſſe aſylum deſperatæ ſententiæ: Quaſi verò non illa omnia contineat jus Naturæ; ac de omnibus illis non agere debeat, qui jus naturæ interpretandum ſuſcepit. Itaque auctores, qui Puffendorfium defendere volunt, ad incitas rediguntur; & poſtquàm jus naturæ præcipua ſui parte mutilum reddiderunt, partes illius ad alias diſciplinas rejiciunt, ut ſola triumphet *ſocialitas*, a Puffendorfio conſtituta. Hoc eſt ſyſtematis hujus turpe flagitium, diſciplinam juris mancam tradere, imperfectam, dimidiatam: Jus Naturæ, nervis ac viribus deſtitutum, hoc eſt pœna atque præmio creatoris, interpretari; illud foro, atque curiæ accomodare: Si quid peccaveris, modò ne tuo crimine ſit turbata Reſpublica, ſecuritatem præbere. Sed nugas agunt, qui ita philoſophantur. Nemo enim veterum philo-

ſo-

ſophorum ita curandam Rempublicam docuit, ut animus hominis præcipuè curandus, & ad virtutem informandus non eſſet.

Objiciunt Secundò. Niſi ſocialitas admittatur tamquàm primum principium juris naturæ, evidentèr confunditur lex naturæ cum regula virtutis, quæ eſt propria diſciplinæ moralis: ſed conſequens eſt abſurdum; ergò & antecedens. Prob major. Primò Legis naturæ finis eſt bonum commune univerſorum hominum, cum dirigat actiones externas ad communem quietem: finis virtutis eſt bonum hominum ſingulorum, cum dirigat actiones animi interiores, & omnes ejus effectus in officio contineat. Secundò Lex naturæ eſt ad alios, cum tribuit unicuique quod ſuum eſt: cujus legis effectus inter homines obtineri non poteſt per imperium dumtaxàt interius, ſed requiritur vis exterior, & coactiva: objectum autem virtutis interius eſt, ad quod attingendum nemo cogi poteſt. Tertiò actiones juris naturæ juſtæ ſunt, cum eò tendant, ut reddant alteri, quod eſt debitum: actiones autèm virtutis bonæ ſunt, cum tendant ad honeſtatem.

Reſpondeo, negando majorem. Ad primum diſtinguo: Legis naturæ finis eſt bonum commune univerſorum hominum; tam collective, quam diſtributive, concedo; ſolum collective, ſubdiſtinguo, eſt bonum commune, tamquam finis adæquatus, nego; tamquam finis inadæquatus, & quidem minus principalis, concedo Explico diſtinctionem. Bonum commune omnium hominum finis eſt legis naturalis, non bonum particulare unius, vel aliquorum. Naturam autem humanam conſiderare poſſumus ut ſpeciem communem pluribus diſtributive acceptis, vel collective. In priori ſenſu lex naturæ, etsi precipiat

actio-

actiones dumtaxat interiores, pro fine habet commune bonum, quia non unius, vel aliquorum bonum intendit, ſed omnium diſtributive: quod ſatis eſt ad rationem legis, ut diſtinguitur a virtute, cujus eſt proprium habere finem tantummodo particularem. In Secundò ſenſu finis legis naturalis eſt etiam bonum commune, ſed alio modo, hoc eſt, quia eſt bonum ſocietatis, quatenùs eſt ſocietas. Sed hic non eſt legis naturalis finis adæquatus; cum lex naturæ tendat in hominis felicitatem integram, & perfectam, cujus pars eſſentialis eſt pax cum Deo; pars magis principalis pax cum ſe ipſo, quæ conſiſtit in motibus animi temperandis, & ad virtutem dirigendis; pars minus principalis eſt pax cum proximo, quæ conſiſtit in eo, ut actiones externæ dirigantur ad publicam tranquillitatem.

Ad ſecundum diſtinguo, Lex naturæ eſt ad *alios*, hoc eſt ad ſolam Rempublicam, nego: ad *alios*, hoc eſt, ad proximum, Deum, & ſemetipſum, concedo. Item legis raturalis effectus inter homines obtineri non poteſt *per ſe* imperio duntaxat interiore, nego; obtineri non poteſt *per accidens* concedo. Etiam lex pœnalis, quam legislator humanus ſuperaddit legi naturali, non ſemper habet effectum ſuum, cum vis coactiva non ſemper hoc aſſequatur, ut furta, & cædes non committantur: Ergo nec externa obligatio ſufficiens eſſet; imo ſine obligatione interna plerumque eſſet fruſtranea, cum multa ſcelera clam patrentur, & in judiciò probationes eludi poſſint, jurisjurandi religione ſublata. Quocirca lex naturalis, per ſe loquendo, ſatis obligat in conſcientia, propoſita nempe animis hominum juſtitia Dei, quæ juſtis ampliſſima præmia pollicetur; flagitioſis graviſſimas pœnas interminatur, ſaltem poſt obitum, abſtra-

ſtrahendo ab earum æternitate, quam ſine Dei re- velatione non poteſt conſequi cogitando humana ratio.

Ad Tertium, actiones virtutis, quæ tendunt ad honeſtatem, cum ab hujus amore proficiſcantur, habeantque fundamentum in debito naturali erga ſe ipſum, participare juſtitiam, & eſſe non bonas tantummodo, ſed etiam juſtas, Ergo actiones virtutis ad legem pertinent naturalem, non ad moralem duntaxat diſciplinam.

CAPUT I.

De aliis ſententiis recentiorum circa principia juris Naturæ.

NOn defuerunt noſtris temporibus ſcriptores e numero Proteſtantium, qui docerent, primum principium juris naturæ eſſe Decalogum, ita ut, quidquid habet Decalogus, excepto præcepto Sabbati, id omne pertineat ad jus Naturæ. Verum Decalogus non eſt lex illa, quam Deus in tabula cordis humani ſcripſiſſe dicitur in ſacris litteris: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*, Pſal. 4 נְסָה עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ יְיָ verſio verò Syriaca ſic: ܕܐܬܛܒܥ ܥܠܝܢ ܢܗܪ ܦܢܝܟ ܡܪܝ, quæque eſt communis non Judæis modo, ſed etiam Gentilibus ante Decalogum, ſolo rationis lumine illam promulgante. Itaque Decalogus non eſt primum principium, unde proveniunt cæteræ leges naturalès, ſed eſt inſtar promulgationis authenticæ, qua Deus voluit inſtruere homines, quid naturaliter æquum ſit, quid iniquum.

Henricus Kæthlerus, ut tradit Wolfius in Methodo Syſtematica juris Naturæ exercitatione ſecunda

ſta-

ſtatuit hoc principium : *Fac ea , quæ te ſtatumque tuum perfectiorem efficiunt : omitte ea , quæ te , ſtatumque tuum imperfectiorem reddunt . Item , ea facienda , quæ voluptatem duraturam progenerant , ea omittenda , quæ tædium duraturum progignunt* . Sed prius principium eſt commune juri divino , & humano Ergo non eſt principium juris naturæ. Alterum principium accedit ad Epicuri ſomnia , & impietatem .

Valentinus Alberti principium juris naturalis a ſtatu integritatis , in quo Adamus fuit conditus , colligit ; formaliter quidem in illis officiis , quæ locum habebant in eo ſtatu , & nunc etiam obtinent in ſtatu naturæ lapſæ , ut colere parentes ; ac per modum normæ in iis officiis , quæ orta ſunt a ſtatu depravato naturæ lapſæ , ut quod ſervus Domino ſubeſſe debeat .

Sed optime confutatur a Puffendorfio . Nam *ſtatus* Naturæ integræ in quo Adamus eſt conditus , demonſtrari non poteſt ratione naturali ; atqui principium Juris Naturæ eſt naturali ratione demonſtrabile : Ergo a ſtatu naturæ integræ principium Juris Naturæ peti non poteſt . Ethnicus ſane ignorat , quæ nos per fidem didicimus de Adami creatione in ſtatu juſtitiæ originalis . Quomodo ergo illi oſtendemus naturali ratione , officia juris Naturæ petenda eſſe a ſtatu illo , quem funditus ignorat? Deinde ſtatus integritatis nullo modo convenit cum ſtatu naturæ lapſæ ratione officiorum ſpecialium . Ergo ejus norma eſſe non poteſt .

Joannes Heineccius inter cæteros Proteſtantes eſt commendandus , quod abſurdas illas , & alias , quas omittimus , aliorum ſententias repudiavit , & ad ſententiam Catholicorum magis acceſſit , de qua dicendum .

CA-

CAPUT II.

Quodnam ſit principium fundamentale Juris Naturæ ex communi ſententia.

PRincipium Juris Naturæ eſt in hunc modum concipiendum. *Fac, vel omitte ea, quæ ex amore, quem Deo, & tibi, & proximo debes, ad felicitatem Naturæ neceſſario facere, vel omittere debes.* Ex hoc principio lex univerſa naturalis pendet, & a lege poſitiva diſtinguitur. Dicitur *ex amore*, qui cum ſit inſitus a natura hominibus ſingulis, notus eſt ſatis experientia. Intelligitur autem hic amor non ſenſitivus, qui dicitur eſſe *actualis propenſio appetitus concupiſcibilis in bonum ſenſibile, æſtimatum tanquam conveniens*; ſed amor rationalis, quem D. Auguſtinus lib. de amicitia vocat *rationalis animæ affectum, quo quis bonum cum deſiderio quærit, adepto fruitur cum ſuavitate, & cum gaudio conſervat.* Heineccius in Elementis Juris Naturalis & Gentium lib. 1. cap. 3. poſtquam admiſit principium amoris, varios gradus in eo conſiderat. Primum appellat amorem juſtitiæ; & hoc quidem bene: deinde amorem humanitatis, bene: & beneficentiæ; & hoc minus bene. Amor enim humanitatis, vel potius æquitatis, ut in naturæ debito fundamentum habens, participat rationem juſtitiæ latius ſumptæ, & pertinet ad Jus Naturæ; non tamen ſic pertinet amor beneficentiæ qua etiam cum noſtro detrimento alterius commoda procuramus: hic amor eſt extra ſphæram juriſprudentiæ naturalis, pertinetque ad diſciplinam moralem; quippe qui meræ virtutis rationem contineat. Præterea diſtinguit ex objectis varios amores, obedientiæ & devotionis erga Deum ut Ens perfectiſſimum, cu-

jus felicitate ita delectamur, ut illud omni cultu dignissimum judicemus. Rursus amorem amicitiæ considerat erga æquales, quorum felicitate sic delectamur, ut illam servare & amplificare studeamus. Verum amores isti, cum in vitio, vel virtute consistant, non jurisprudentia naturali, sed Ethica disciplina continentur.

CAPUT III.

Solvuntur Objectiones contra hoc principium amoris debiti.

OBjiciunt aliqui. Primò. Multa sunt consentanea vel repugnantia amori, qui ad publicam felicitatem requiritur; & tamen neque sunt præcepta, nequæ prohibita Jure Naturæ. Ergo *amor* non est solum principium Juris Naturæ. Antecedens patet: exempl. gr. consentaneum fuisset amori erga proximum seu Rempublicam, ut clandestina matrimonia Jure Naturali vetita essent atque invalida, propter infinita, quæ secum trahunt incommoda: Et tamen jure tantummodo positivo vetita sunt. Idem dicas de aliis, quæ Jure Naturæ non sunt prohibita.

Respondeo. Multa sunt consentanea vel repugnantia amori erga proximum seu societatem humanam, qui amor sit necessarius ad felicitatem publicam, nego; secus, concedo. Amor societati humanæ necessarius, adeoque naturaliter debitus, eam tantum felicitatem respicit, sine qua societas esset positive defectuosa. Non esset autem positive defectuosa per matrimonia clandestina, quæ valida sint. Non ergo hæc respicere debuit prohibendo. Amor societati humanæ necessarius non requirebat, ut multa quæ ad bonum pu-

publicum conferebant, legæ naturæ ſancirentur; quia commodum non erat generi humano, ut naturalium legum immenſa mole obrueretur. Quare erat expediens, ut ea ſolum Jure Naturæ præciperentur vel vetarentur, quæ conſentanea eſſent, vel repugnantia amori erga Deum, ſe ipſum & proximum, relate ad felicitatem ſocietati humanæ abſolute debitam, ſic ut cuivis cognita eſſet obligatio naturalis: ulteriora verò, magiſque recondita, quibus major, vel minor ſtatus publici utilitas continetur, arbitrio hominum relinquerentur ſancienda legibus poſitivis.

Objiciunt Secundò. Nonnulla vetantur Jure Naturæ, quantumvis amori, vel ſibi, vel ſocietati naturaliter debito optime conveniant. Ergo definitio a nobis tradita non convenit omni amori. Antecedens patet in ultione ſui privata; in cæde hominis improbi, facta propria auctoritate; in mendacio conſervandæ Reipublicæ gratia prolato.

Reſpondeo. Antecedens eſſe falſum per ſe, & univerſaliter loquendo; in aliquo vero caſu particulari, & per accidens eſſe verum. Jus ergo Naturæ reſpicit id, quod univerſaliter, & plerumque expedit ad felicitatem publicam, vel privatam tuendam; non id, quod in uno, alterove caſu, & per accidens expedit. Quare ad primum, & ſecundum exemplum ita eſt reſpondendum, quod, etſi quadam ſocietate ſuppoſita ultio ſui privata, cædes hominis improbi in caſu particulari videri poſſet non repugnare amori debito, & ad felicitatem vel privatam, vel publicam requiſito; tamen ſpectata depravatæ naturæ conditione, hominumque judiciis, quæ falſa plerumque ſunt, & ab homine amore ſui, vel proximi odio in præceps acto feruntur; ejuſmodi jus, ſive licentia univerſalis eſſet nimis periculoſa, & abſolute pernicioſa amori

debito, & ad felicitatem tam privatam, quam publicam ſimpliciter neceſſario: Ergo ejuſmodi licentia abſolute eſt prohibita Jure Naturæ. Eadem eſt ratio de tertio exemplo, hoc eſt de mendacio. Ut enim recte ratiocinatur Cardinalis Pallavicinus in Philoſophia Morali, ſive de bono Lib. 1. cap. 21. *Cum humana ſocietas ſermone, veluti præcipuo adjumento, juvetur; cum ejuſdem ſermonis veritate deliberationes cunctæ, judicia, & negotia univerſa regantur; cum omnis mortalium rerum procuratio ab eadem dependeat, præſtat ut eventu nullo mentiri liceat; alioquin ſemper auditor jure verebitur, ne tum forte in eo eventu, in quo mendacium innocens eſt, loquutor aut re, aut opinione verſetur.*

Obijciunt Tertio. Cum Puffendorfio: Juris eſt Naturalis æs alienum exſolvere, quin tamen id fiat ex charitate. Qui enim æs alienum exſolvit, non movetur interdum charitate, ſed vi quadam, quæ odium parit.

Reſpondeo. Quamquam diſſolutio æris alieni non fiat interdum ex amore benevolentiæ, vel amicitiæ, tamen fit ex amore æquitatis naturalis. Quod ſi aliquando fiat ab invito, id per accidens eſt ex amore ſui inordinato.

DISPU-

DISPUTATIO VI.

De existentia Juris Gentium, an, & quomodo differat a Jure Naturæ, ejusque definitio.

SUpposita societate a Gentibus inita, evidens est, opus esse norma, secundum quam in commerciis, negotiis, & actionibus publicis rite societas instituatur. Hæc autem norma non est Jus Naturale, ut demonstrabimus infra; neque jus est particulare positivum. Ergo est jus commune, quod gentium appellamus.

Sed contra objici potest. Primò. Si Jus Gentium daretur, esset ex mutuo Gentium consensu: Atqui fieri non potest, ut Gentes omnes mutuo consentiant; cum omnes convocari non possint ad unum concilium, quod fieri necesse esset ad omnium consensum cognoscendum. Ergo. Secundò. Quæ dicuntur esse capita Juris Gentium, ne a Gentibus quidem moratioribus observantur Jus igitur Gentium nullum est.

Respondeo. Ad Jus Gentium constituendum necessarium non esse consensum verbis expressum, adeoque non opus esse, ut gentes convocentur ad Generale concilium orbis terrarum; Sed satis esse consensum tacitum, quem gentes omnes significaverint usu, & observatione rei alicujus, tum unanimi in eos animadversione, qui ausi fuerint non observare.

Ad Secundum Respondeo. Si quæ Gentes etiam moribus cultiores jus aliquod Gentium non observent, id non contingere ex defectu juris, sed ex negligentia juris, quod verissime extat. Hinc sæpe videmus

vio-

violato hoc jure a quibuſdam Gentibus, alias Gentes arma corripere, bellumque illis inferre.

Poſito quod detur in hominum ſocietate Jus Gentium, quæri ſolet, an a Jure Naturæ ſpecie differat. Hobbeſius, qui legem naturalem dividit in naturalem hominum, & naturalem civitatum, hanc ſecundam ait vulgo appellari Jus Gentium. Puffendorfio hæc placet opinio. Nixus enim principio *ſocialitatis*, Juris eſſe Naturæ arbitratur, quæ ſunt re ipſa Juris Gentium. Puffendorfium ſequuntur Thomaſius, aliique Proteſtantes. Nos non ſolum differre Jus Gentium a Juræ Naturæ exiſtimamus, ſed etiam multifariam differre; in aliquibus tamen cum eo convenire.

Primò differunt inter ſe ratione finis. Nam Juris Gentium finis eſt Gentium utilitas, ſive hominum ſocietatis felicitas dumtaxat externa, neque præſenti vita perennior, neque ſimpliciter neceſſaria Naturæ; ſed tantum moraliter, ut Gentes inter ſe communicent: Jus vero Naturæ pro fine primario habet hominis propriam felicitatem, ut homo eſt, hoc eſt, interiorem, neque termino hujus vitæ circumſcriptam, ſed in perpetuum duraturam; hominem informat officiis erga Deum, atque ſe ipſum: pro fine ſecundario habet felicitatem hominis propriam, non eſſentialiter, ſed integraliter; hominem informat officiis erga proximum, ſuppoſita tamen ſocietate, ad felicitatem publicam obtinendam.

Secundò. Differunt in objectis. Jus enim Gentium objecta habet non abſolute neceſſaria, ideoque, ut Ciceroni placet, ex Gentium opinione proficiſcitur, quæ eſt de majoribus commodis ſocietatis humanæ; ejuſmodi ſunt immunitas legatorum, jus commerciorum, & alia. Jus vero Naturæ objecta habet neceſſaria ſimpliciter; ideoque, ut loquitur Cicero, ex

evi-

evidentia naturali oritur; hoc est, ex principiis vel per se notis, vel ex conclusionibus inde deductis.

Tertio. Differunt in constitutivis. Jus enim Gentium est jus non scriptum, sed inductum moribus Gentium, usuque diuturno, qui consensus taciti universalis est signum: Jus vero Naturæ est jus scriptum in hominum cordibus, rationi maxime conveniens, imo illi cognatum, seu potius innatum, neque hominum voluntate sancitum.

Quarto. Differunt in causis. Causa enim efficiens Juris Gentium est voluntas Gentium. Hinc eo jure non obligantur Gentes, quæ jus illud non acceptarunt. Exempli causa Sinenses non obligantur Jure Gentium ad excipiendos Polonos mercatores, quia jus commercii inter se & Polonos non admiserunt. Causa vero Juris Naturæ est Deus, ut auctor Naturæ.

Differunt in proprietatibus. Jus enim naturæ immobile est: Jus vero Gentium mutari potest, cum ex hominum voluntate dependeat. Secundo Jus Naturæ est universale, omnesque obligat, &, sicubi non observetur, id ex errore contingit. Jus vero Gentium non semper est universale, sed fere semper; nec semper ad omnes pertinet, sed ad plerosque, vel saltem ad eos omnes, qui sunt moribus cultiores: Hinc sine errore potest alicubi non observari, exempli causa inter Gentes, quæ commercia exterorum non admittunt.

Convenit Jus Gentium cum Jure Naturæ. Utriusque enim finis est felicitas publica societatis humanæ; utrumque eodem fere modo est exortum cum genere humano, cum sit utrumque rationi conveniens.

At qua ratione est exortum cum genere humano Jus Gentium? Varii varia, Placet mihi eorum sententia,

qui

qui dicunt Jus Gentium inductum fuiſſe a primis hominibus, poſteaquam in ſocietatem coiverunt, exercendo videlicet actiones quaſdam, ad recte conſtituendam ſocietatem pertinentes, exempli cauſa, admittendo legatos, commércia inſtituendo. Placuerunt actiones ejuſmodi primum Gentibus inter ſe finitimis, ſuadente publica partim ſecuritate, partim utilitate. Aliæ Gentes deinde commoditatem ejuſmodi obſervantes, imitatione & conſenſu iis ſe moribus imbuerunt, qui longo poſt tempore tranſierunt in leges, ex juſtitia publica obligantes: quas leges Jus Gentium appellamus. Exemplum habemus in Lacedæmoniis, vel Spartanis, quorum Rempublicam Lycurgus inſtituit ex imitatione Cretenſis Reipublicæ; item in Romanis, qui leges duodecim tabulis comprehenſas ab Athenienſibus acceperunt; in Gentilibus denique, qui, Joſepho Hebræo teſtante in Libro primo contra Appionem, *multa* e Judæorum ſcitis didicerunt, ſibique propria *fecerunt*. Quid, quod Gentes aliquando ſubactæ ita bonam victoribus gratiam retulerunt, ut ſuos mores, arteſque optimas in eos transfunderent. Sic Horatius de Græcis victis, & Romanis victoribus canit.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio.

His conſtitutis, facile erit Jus Gentium definire: *Eſt ergo Jus Gentium ordinatio rationis, longo uſu Gentium & conſenſu Dei ſocietatis humanæ gubernatoris inducta ad Gentium publicam utilitatem, & ſocietatis conſervationem.*

Sed objicit Puffendorfius: Si vera eſt hæc definitio, non diſtinguitur Jus Gentium a Jure Naturæ; Nam ſocietas inter Gentes inita eſt Jure Naturæ: Ergo etiam leges Gentium ſunt de Jure Naturæ, tamquam neceſ-

ceſſaria inſtrumenta Societatis conſervandæ, Antecedens eſt Senecæ, qui Epiſtola 95. ita differit: *Omne hoc, quod vides, unum eſt; membra ſumus corporis magni: Natura nos cognatos edidit: hæc amorem indidit mutuum, & ſociabilem*, Et Ciceronis Lib. 3. de officiis: *Qui civium dicunt rationem habendam, exterorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem, qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam adverſus Deos immortales impii judicandi ſunt; ab iis enim conſtitutam ſocietatem evertunt, cujus ſocietatis antiquiſſimum eſt vinculum.*

Reſp. Societatem inter Gentes initam eſſe ex Jure Naturæ concedente, non obligante ad ſocietatem ineundam. Poterant enim homines ſeorſum vivere, ſi voluiſſent; ut modo poſſunt, qui volunt. Leges autem naturæ ſunt, quæ omnes ſimplicitèr obligant. Hinc ruit penitus argumentum.

Objicit Secundò Puffendorfius: Multa quæ juri Gentium tribuuntur, ſunt vere & proprie de Jure Naturæ. Nihil igitur ab hoc differt Jus Gentium. Probat antecedens. Primò Diviſio Regnorum Juris eſt Naturalis: Nam cum tot populi ingenio, moribuſque inter ſe diſcrepantes ab uno Rege gubernari non poſſent, neceſſariò, jubente Natura, multi ſunt Reges inſtituti. Secundò Bellum, quod vocatur defenſivum, Jure Naturæ permiſſum eſt; uti permittitur defenſio privata ad vitam tuendam cum moderatione inculpatæ tutelæ. Item denuntiatio belli eſt Juris Naturæ, quæ jubèt nos antea petere, ut nobis pro illata injuria, vel damno ſatisfiat, quàm bellum inferamus, & hoſtium cæde vindictam ſumamus. Tertiò Legatorum admiſſio cum ſecuritate eſt a Jure Naturali, tamquàm res neceſſaria ad bellum finiendum, & ad quietem, quàm natura præcepit, reſtituendam. Quartò

Fœdera & pacta, ſi ſemel ac rationabilitèr petita fuerint, obligant Jure Naturæ, cum ſint neceſſaria ad naturale bonum ſocietatis conſervandum. Quintò Jus ſepulturæ eſt naturale, cum id requirat officium humanitatis.

Reſpondeo Nego antecedens. Ad Jus enim Naturale ea ſolum capita pertinent, quæ ſunt abſolutæ neceſſitatis; quæ ſunt autem neceſſaria moralitèr, vel ad melius eſſe, non ſunt Juris Naturalis; alioqui præcepta naturæ multiplicabimus in infinitum, & leges quoque poſitivas poſſemus dicere naturales: Nam leges etiam poſitivæ pro fine habent ſocietatis bonum. Quocirca aliud eſt id, quod dicimus conſentaneum naturæ, aliud quod præcipitur a natura; cum multa naturæ conſentanea ſint juris tantummodo poſitivi.

Ad ſecundum dico, bellum ſecundum conditiones pendere ex voluntate Gentium, item belli denuntiationem non eſſe neceſſariam abſolute.

Ad Tertiùm Reſpondeo. Legatorum admiſſionem cum ſecuritate non eſſe neceſſariam abſolutè ad vitæ felicitatem.

Ad Quartum, Fœdera & pacta æquitatis eſſe, non abſolutæ neceſſitatis.

Ad Quintum. Non eſſe abſolutè neceſſarium jus ſepulturæ, licèt habeat fundamentum in æquitate aliqua naturali: & ex Jure Naturæ non obligamur ad ſepeliendos hoſtes in prælio interfectos.

CAPUT UNICUM.

De Divisione Juris Gentium; tùm quale, & quotuplex ejus objectum.

DIviditur Jus Gentium in affirmativum, & negativum. Primùm est, quò aliquid jubetur, ut admissio legatorum. Secundùm, quò aliquid vetatur, exempli causa, ne arma, & fontes veneno inficiantur, ad mortem hostibus inferendam. Primùm non obligat ad semper: nam ad illud semper implendum non sufficiunt humanæ vires valde imbecillæ. Secundùm obligat ad semper, propterea quia vires humanæ semper sufficiunt ad actum vetitum omittendum.

Jus Gentium in genere est omne id, quod intendit, velut finem suum, convenientem communicationem, & utilitatem Gentium. In specie pertinent ad Jus Gentium, primò primæva rerum divisio. Quamquàm enim Natura, humano genere, jam propagato, requireret aliquòd medium ad vitanda incommoda multitudinis, non tamèn hoc medium divisionis determinatè requirebat. Secundò Divisio Gentium & Regnorum. Nàm licèt humano genere propagato, Natura exegerit aliquòd medium ad turbas vitandas, non tamen exegit hoc determinatè medium divisionis in hæc, vel illa Regna. Non enim ex natùra rei repugnabat, orbem terræ Universum constare quadam Republica universali; quæ popularem dominatum, vel optimatum, vel unius Regis haberet; vel certè tanta Gentium, ac Regnorum discretio non fuisset simplicitèr necessaria, quantam videmus contigisse. Tertiò commerciorum libera facultas. Nam

hæc facultas non eſt ſimplicitèr neceſſaria ad hominis propriam felicitatem conſervandam, etiam ſuppoſita propagatione in immenſum generis humani. Poſſet enim unaquæque Reſpublica ſine commercio per ſe conſiſtere. Non eſt ergò per ſe Juris Naturæ, ſed Gentium. Dictum eſt per ſe; per accidens enim poteſt inducere obligationem amoris naturalis; exempli cauſa in extrema caritate annonæ, qua laboraret Hungaria, ex lege amoris naturalis teneretur Polonia commercium permittere, etiamſi ante non permiſiſſet, ad triticum aſportandum, ne finitimum Regnum gravi miſeria conficeretur. Quartò Bellum ſolemne, hoc eſt, quatenùs continet denuntiationem, & quoſdam effectus, eſt Juris Gentium. Neque enim amor naturalitèr ſibi debitus hoc requirit ad propriam felicitatem. Poſſet enim ſimplicitèr, & abſolutè bellum fieri ſinè indictione, & non habere quoſdam effectus.

Quintò Repræſſaliæ, quas vocant, ad Jus Gentium ſpectant. Jus enim Naturæ non obligat niſi ſucceſſorem bonorum ad reddendam rationem facti alieni. Exempli gratia ſi pater meus, injuſte & graviter Titium vulneravit, ego hæres teneor, mortuo patre, vulneratum curare. Contra verò Gentium conſenſu eſt conſtitutum, ut pro eo, quòd alteri Reipublicæ Reſpublica debet, & nondum perſolvit, ſubditorum bona veluti oppignorata, ab altera Republica habeantur. Sextò Servitus proficiſcitur ex Jure Gentium. Nàm communis utilitas requirebat, ut capti juſto bello ſervituti potiùs addicerentur, quàm necarentur. Septimò Legatorum admiſſio, & immunitas non eſt Juris Naturæ, ſivè negotia commerciorum reſpiciat, ſivè pacis. Poſſet enim Gens aliqua ſibi ſoli vivere, & aliorum commerciis

ab-

abſtinere ; tum alio modo , quàm legatione , pacem curare . Eſt ergò Juris Gentium . Octavò Pax ad bellum relata , & in ſuis effectibus . Ratio enim paciſcendi , oblivio malorum , reſtitutio bonorum , & cætera , quæ pacem comitantur & conſequuntur , nonniſi ex Gentium voluntate conſtitui poterant ad communem utilitatem . Nonò Fœdera non ſunt abſolutæ neceſſitatis in genere humano . Nam ut Gens quælibet abſolutè ſibi ſoli poteſt vivere , ita poteſt aliarum Fœderibus non ſe ligare . Ergò ſunt Juris Gentium . Decimò tandem jus tranſitus , quandò non eſt juſta ratiò excludendi peregrinos & advenas . Jus etiam ſepulturæ in hoſtibus interfectis ; cum æquitatem naturalem contineat , & in mortuos ſævire non deceat. Non tamen eſt abſolutæ neceſſitatis hoſtes humo condere ; nec repugnat naturæ cadavera hoſtium inhumata relinquere . Jus præſcriptionis , cum ad pacem & quietem publicam retinendam pertineat , & hominum ſocietatis interſit , ſemper , aut diu incerta non eſſe rerum dominia , & aliquem eſſe litium finem , videri poſſet Juris eſſe Naturæ . Verùm præſcriptio non eſt abſolutè neceſſaria ad felicitatem hominum ſingulorum . Nihil enim definivit natura de quantitate temporis , de qualitate bonæ fidei , aut de cæteris conditionibus . Eſt ergò Juris Gentium . Denique jus cudendæ monetæ & valoris tribuendi eſt a Jure Gentium . Neque enim valor monetæ eſt naturalis , ſed commoditatis publicæ cauſa ſubſtitutus eſt a Gentibus in locum rerum , quæ antea permutabantur .

Quæri hic poteſt , quinam ſit effectus juris Gentium . Reſpondeo , eſſe obligationem legalem , quâ Gentes tenentur parere iis , quæ ſunt decreta communiter .

Id

Id verò conſtat ex Gentium ſenſum communi, quæ exhorreſcunt, & indignantur, ſi hanc legem, quam ſanctiſſimam vocant, aliquando videant violari. Quocirca hæc obligatio non homines dumtaxat privatos, ſed ipſa ſumma mundi capita afficit. Itaque Juri Gentium obtemperare tenentur Maximi Reges, jubente Deo, qui ſocietatem humanam hoc jure continet, & conſervat.

DISPUTATIO VII.

De officiis hominis erga Deum, ſe ipſum, & proximum; Jure Naturæ præſcriptis.

OFficium hominis, quatenus conſideratur *in ſtatu naturali*, eſt agere propter felicitatem rationali naturæ congruentem, cujus legem tenetur obſervare.

Cumque lex naturalis pro fine habeat felicitatem, a triplici objecto dependentem, hoc eſt, Deo, ſemetipſo, & proximo; hinc triplex eſt officiorum genus: alia ſunt reſpectu Dei, alia reſpectu ſui ipſius, alia reſpectu proximi: de quibus omnibus agendum eſt.

CAPUT I.

De officiis hominis erga Deum.

OFficia hominis erga Deum ſunt actiones, quas homo præſtare debet juxta præſcriptum legis naturæ præcipientis Religionem erga Deum, quòad ratio naturalis eum conſequi poteſt. Hujus autem Religionis duæ ſunt partes, notitia Dei, ejuſque cultus. Hinc officium hominis erga Deum duplex eſt; primùm, de Deo rectè ſentire; alterum modo debito eundem colere. Hoc duplex officium eſt ab homine præſtandum duabus de cauſis. Primà eſt dependentia hominis a Deo, tamquàm creatore, conſervatore, ac Gubernatore. *Altera* cauſa ſunt Dei perfectiones, præſertim juſtitia, & providentia. His duabus cauſis fit, ut amorem cultumque noſtrum, Deus optimus Maximus mereatur.

Notitia Dei eſt homini inſita, & conſiſtit in primis principiis lumine naturæ notis, quale eſt primo dari aliquod Numen ſub ratione Entis primi, ſupremi, juſti, ac providi, mala ſcientis, & punientis; bona vero remunerantis. Secundo. Animam rationalem non interire cum corpore, adeoque ſupereſſe poſt mortem, ut præmium, vel pœnam accipiat: hinc felicitatem hujus vitæ termino circumſcriptam non eſſe finem adæquatum rationalis naturæ.

Cultus Dei eſt cogniti Numinis veneratio certis Naturæ legibus definita. Et duplex eſt; internus, qui dicitur veneratio mentis Deo devotæ, internis actibus concepta; & externus, qui eſt veneratio ſignis etiam exterioribus præſtita. Uterque hic cultus, velut a primo

mo fonte, ex amore Dei promanat, ex quo cœtera officia originem ducunt. Amor enim immediate disponit ad finem, seu felicitatem propriam rationalis Naturæ, hoc est ad conjunctionem cum Deo, cœtera mediate. Cultus interni officia consistunt in actibus notitiæ Dei respondentibus. Primus actus, ut dixi, est amoris erga Creatorem, & quidem super omnia, ita prorsus, ut includat propositum absolutum, & efficax adimplendi totam legem naturæ: hic amor Dei sub præceptum cadit absolutè, & simpliciter. Ex amore tamquam ex fonte, manant officia honoris, & reverentiæ per laudationem; spei per invocationem, grati animi per gratiarum actionem, timoris & obedientiæ per observantiam legis naturalis. Officia hæc Jure Naturæ adultis omnibus præcepta sunt. Quippe amor Dei ad felicitatem hominis necessarius ea requirit. Licet autem Deus per se non indigeat hominum cultu; posito tamen quod creaverit hominem *ad imaginem* & similitudinem suam, non potest ab eo non exigere cultum sui; cum omnia propter se ipsum operatus sit Dominus; & alius finis in creatione hominis Deo esset indignus.

Cultus Dei externus consistit in actionibus externis interna officia significantibus; quales sunt verbales invocationes, & laudes, & fuga ab iis rebus, quas nobis vetitas dictat naturalis ratio. Cultus Dei externus peculiaris, hoc est in specie determinatus per certos ritus, est juris positivi, Divini, vel humani. Vel enim Deus illum revelavit, ac præscripsit, vel homines instituerunt. Hinc Sacrificia, & Sacerdotes, hoc est, homines quidam selecti e populo, & ad sacra peragenda destinati non sunt de jure naturali præceptivo. Non enim sunt media necessario requisita ad finem colendi Deum, quamquam sint valde consentanea

nea rationi, ac fere ſemper conſenſione omnium gentium recepta fuerint.

Circa officia erga Deum non ſolum datur præceptum Juris Naturæ poſitivum, ſed etiam quædam ſunt negativa. Præcepto negativo vetatur in genere, quidquid notitiæ Dei, cultuique præcepto contrarium eſt: Notitiæ Dei adverſatur error & ignorantia omnis vincibilis: cultui præcepto eſt oppoſita impietas, omniſque irreverentia. Vetantur in ſpecie atheiſmus; idololatria, magia, vana obſervatio, maleficium, & irreligioſitas in temerariis juramentis, perjuriis, blaſphemis. Nam hæc, & ſimilia ſunt oppoſita amori, quem homo Deo naturaliter debet.

Ex dictis ſequitur, Religionem naturalem iiſdem argumentis demonſtrari, quibus oſtendimus Deum lumine naturali cognoſci poſſe. Eam Puffendorfius etiam admiſit, ſed erravit in eo, quod putaret hujus vitæ termino circumſcribi. Itaque eſt breviter confutandus. Nam, ut ipſe fatetur Puffendorfius, religio eſt firmiſſimum vinculum ſocietatis humanæ, ſine quo communis felicitas obtineri, conſervarique non poteſt: Si autem religio naturalis non reſpiceret aliam vitam, niſi præſentem, non eſſet profecto firmiſſimum vinculum ſocietatis: Non enim poſſet proponi pœna, vel præmium alteri vitæ reſervatum, quorum metu, vel ſpe fortius homines in officio continentur, quam ullo bono vel ſuo, vel ſocietatis, quod brevi hac vita finiatur. Adde huc illa mala, quæ ſublata Religione naturali, Puffendorfius colligit eventura.

Neque reponat Puffendorfius, pœnam, vel præmium æternum proponi ab religione revelata: ſic enim confundit Religionem naturalem cum revelata. Religio quippe naturalis proponit penam & præmium in alia

vita, abſtrahendo a temporali & æterno, ad captum ſcilicet cujuſvis hominis.

Lex naturalis obligat hominem ex ſolo naturali lumine ad habendam, & procurandam veram Dei religionem. Rurſus obligat hominem, prout nunc eſt ad finem ſupernaturalem elevatus, ad habendam veram interiorem Fidem in Deum. Hæc obligatio non tantum eſt in ſtatu naturæ lapſæ, ſed etiam fuit in ſtatu innocentiæ. Obligat etiam lex naturalis ad non repugnandum Fidei ſemel propoſitæ ſufficienter, nec ad recedendum a Fide ſemel ſuſcepta, neque ad dubitandum, aut formidinem admittendam. Qui ſecus faceret, Deum graviter offenderet. Sicut enim qui nolit mandatum Regis ſufficienter propoſitum adimplere, tamquam præceptum Regium, injuriam facit Regi; ſic injuriam Deo irrogaret, naturali rationi contrariam, qui repugnaret Fidei ſemel propoſitæ ſufficienter. Nam cum ſit Deus prima & infallibilis veritas, etiam ex lumine naturali; hanc veritatem diceretur negare, qui nollet Fidem ſufficienter propoſitam ſuſcipere, aut a ſuſcepta recederet, aut in illa hæſitaret.

Eadem ratione tenetur homo ea credere, quæ ut credibilia, & credenda proponuntur. Tenetur pariter Infidelis, ubi incipiet animi ſtimulos ſentire, veritatem inquirere, eique ſufficientèr propoſitæ obſequium præſtare.

Sicut obligatur homo ad inquirendam, & tenendam veram cognitionem Dei ex naturali ratione, ita ad ſperandum ab illo aliquod bonum, & timendum aliquòd malum. Parimodo tenentur omnes naturæ lege bene ſentire de divina Providentia, cujus eſt reddere virtuti præmium, & vitiis pœnam. Teſtatur Clemens Alexandrinus Libr. 4.

Stro-

Stromatum in fine, & 5. in principio, antiquos Philoſophos cognoviſſe, & commendaſſe ſpem præmiorum poſt mortem. Rurſus ex tali ſpe moventur homines ad cultum præſtandum Deo auctori naturæ ad virtutes exercendas, & vitia fugienda. Quæ omnia ſpectant ad legem naturæ.

Denique tenetur homo lege naturæ tendere in Deum, ut ultimum finem, in eoque ponere ſuam beatitudinem, illamque intendere per debita media. Perfectior multo eſt uſus ſpei in Lege Evangelii, tum quòad modum ſperandi gloriam, tum quòad media ſupernaturalia, ſcilicet Sacramenta. Hæc autem perfectio & obligatio ſequitur naturalitèr, poſita perfectione Fidei circa Chriſtum & Redemptionem ejus, & tali inſtitutione Sacramentorum.

Præceptum diligendi ſuper omnia Deum, ut finem naturæ, naturale eſt. Nam ad hunc amorem homo natura ſua inclinatur, quem dictat lex naturæ. Sicut ergò tenetur lege naturæ cognoſcere Deum, ita tenetur illum amare, aut ſupra ſe, aut infra ſe, aut æque, ac ſe: non his duobus modis, cum nihil inordinatum dictet lex naturæ; ergò ſuper omnia, ut ſupra oſtendimus.

Præceptum diligendi Deum ut finem ſupernaturalem Gratiæ eſt ſimplicitèr ſupernaturale, propoſitum a lege Evangelica, quæ nos obligat ad modum perfectiorem caritatis ergà Deum ſub Fide explicita Trinitatis, & Mediatoris, hoc eſt Verbi Incarnati, in carne paſſi, atque mortui pro ſalute Generis humani.

Malum culpæ, ut aliquo modo deſtruendum, eſt id, quod reſpicit Pœnitentia. Quoniam verò dari nequit, quin dicat reſpectum ad Deum, hinc dicitur Pœnitentia tendere in Deum. Ad pœnitentiam per-

tinet ſatisfactio. Præceptum autem ſatisfaciendi Deo pro iujuria illata per peccatum, naturale eſt; quantum ſcilicet homini poſſibile eſt. D. Thomas 3. p. q. 84. art. 7. ad primum. *De Jure naturali*, inquit, *eſt, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit*. Actus autem deteſtationis cum reſpectu ad Deum eſt ex ſe, & naturalitèr valde proportionatus ad hanc ſatisfactionem. Nullus enim alius eſt per ſe aptior ad veniam impetrandam. Satisfactio Deo condigna dari non potuiſſet in pura natura: excitatus vero homo, & adjutus divina gratia poteſt de congruo, ſeu imperfectè Deo ſatisfacere.

Modus ſatisfaciendi Deo habetur ex ordinatione ipſa Dei. In ſtatu puræ naturæ pertineret ad divinam providentiam determinare modum pœnitentiæ: quo homini ſignificato, homo teneretur illum *adhibere* naturalitèr.

Ex vi ſolius legis naturalis non tenetur homo colere, vel adorare Deum alio cultu pure interno, præter illum, qui in actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ſi mortalitèr peccaverit, reperitur. His actibus implet homo obligationem colendi Deum pura mente, & Spiritu. Ex vi ſolius legis naturalis non eſt determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo. Quoad modum vero in genere obligat lex naturalis, ut fiat modo decenti & proportionato, & ſinè ſuperſtitione. Ergò Deum venerari per viſibile Sacrificium, & externam oblationem, licèt in rigore non ſit de Jure Nauræ, eſt tamen adeò conſentaneum illi, ut ſemper fuerit de Jure Gentium. Patet hoc ex uſu hominum a principio mundi, in Abel & Cain ſacrificiis, & in Gentibus etiam, ut Ariſtoteles animadvertit Lib. 7. Politicorum cap. 8. Hic modus ſenſibilis eſt honeſtus, adeoque

legi

legi naturali consentaneus. In lege autem Evangelica cultus Dei per verum sacrificium præceptus est Jure Divino a Christo Domino

Juramentum de se non est ex lege naturæ prohibitum, si nimirum detur necessitas, & serventur conditiones. Necessitas datur in aliqua morali utilitate ad finem honestum: & consurgit ex incredulitate audientium, & ex defectu veritatis in natura corrupta. Conditiones sunt tres, scilicet veritas, justitia, & Judicium.

Perjurium est contra legem naturæ: atque ita prohibetur Levitici cap. 19. Exodi cap. 20. 25. Exechielis cap 5. In juramento enim adducitur Deus, tamquàm prima, & infallibilis veritas in testem veritatis. Ergò ea deficiente, fit Deo gravis injuria. Hinc numquàm potest fieri licitum perjurium, & semper est grave peccatum. Juramentum promissorium per vim & metum cum injuria extortum, si est de materia honesta, obligat ex lege naturæ. Urget enim obligatio, ut re ipsa fiat verum, quòd sub divino testimonio dictum est, & fieri potest sinè peccato.

CA-

legi naturali consentaneus. In lege autem Evangelica cultus Dei per verum sacrificium præceptus est Jure Divino a Christo Domino

Juramentum de se non est ex lege naturæ prohibitum, si nimirum detur necessitas, & serventur conditiones. Necessitas datur in aliqua morali utilitate ad finem honestum: & consurgit ex incredulitate audientium, & ex defectu veritatis in natura corrupta. Conditiones sunt tres, scilicet veritas, justitia, & Judicium.

Perjurium est contra legem naturæ: atque ita prohibetur Levitici cap. 19. Exodi cap. 20. 25. Exechielis cap 5. In juramento enim adducitur Deus, tamquàm prima, & infallibilis veritas in testem veritatis. Ergò ea deficiente, fit Deo gravis injuria. Hinc numquàm potest fieri licitum perjurium, & semper est grave peccatum. Juramentum promissorium per vim & metum cum injuria extortum, si est de materia honesta, obligat ex lege naturæ. Urget enim obligatio, ut re ipsa fiat verum, quòd sub divino testimonio dictum est, & fieri potest sinè peccato.

tinet ſatisfactio. Præceptum autem ſatisfaciendi Deo pro iujuria illata per peccatum, naturale eſt; quantum ſcilicet homini poſſibile eſt. D. Thomas 3. p. q. 84. art. 7. ad primum. *De Jure naturali*, inquit, *eſt*, *quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit*. Actus autem deteſtationis cum reſpectu ad Deum eſt ex ſe, & naturalitèr valde proportionatus ad hanc ſatisfactionem. Nullus enim alius eſt per ſe aptior ad veniam impetrandam. Satisfactio Deo condigna dari non potuiſſet in pura natura: excitatus vero homo, & adjutus divina gratia poteſt de congruo, ſeu imperfectè Deo ſatisfacere.

Modus ſatisfaciendi Deo habetur ex ordinatione ipſa Dei. In ſtatu puræ naturæ pertineret ad divinam providentiam determinare modum pœnitentiæ: quo homini ſignificato, homo teneretur illum adhibere naturalitèr.

Ex vi ſolius legis naturalis non tenetur homo colere, vel adorare Deum alio cultu pure interno, præter illum, qui in actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ſi mortalitèr peccaverit, reperitur. His actibus implet homo obligationem colendi Deum pura mente, & Spiritu. Ex vi ſolius legis naturalis non eſt determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo. Quoad modum vero in genere obligat lex naturalis, ut fiat modo decenti & proportionato, & ſinè ſuperſtitione. Ergò Deum venerari per viſibile Sacrificium, & externam oblationem, licèt in rigore non ſit de Jure Nauræ, eſt tamen adeò conſentaneum illi, ut ſemper fuerit de Jure Gentium. Patet hoc ex uſu hominum a principio mundi, in Abel & Cain ſacrificiis, & in Gentibus etiam, ut Ariſtoteles animadvertit Lib. 7. Politicorum cap. 8. Hic modus ſenſibilis eſt honeſtus, adeoque

legi

legi naturali consentaneus. In lege autem Evangelica cultus Dei per verum sacrificium præceptus est Jure Divino a Christo Domino

Juramentum de se non est ex lege naturæ prohibitum, si nimirum detur necessitas, & serventur conditiones. Necessitas datur in aliqua morali utilitate ad finem honestum: & consurgit ex incredulitate audientium, & ex defectu veritatis in natura corrupta. Conditiones sunt tres, scilicet veritas, justitia, & Judicium.

Perjurium est contra legem naturæ: atque ita prohibetur Levitici cap. 19. Exodi cap. 20. 25. Exechielis cap 5. In juramento enim adducitur Deus, tamquàm prima, & infallibilis veritas in testem veritatis. Ergò ea deficiente, fit Deo gravis injuria. Hinc numquàm potest fieri licitum perjurium, & semper est grave peccatum. Juramentum promissorium per vim & metum cum injuria extortum, si est de materia honesta, obligat ex lege naturæ. Urget enim obligatio, ut re ipsa fiat verum, quòd sub divino testimonio dictum est, & fieri potest sinè peccato.

CA-

CAPUT II.

An Protestantes recte ducant argumentum ex religione naturali ad Religionem Christianam, sic ut divisionem potestatis sacræ, ac profanæ juris Divini minime esse, evincere queant.

COntroversiæ momentum hac nostra ætate præcipuum est, cum de articulo sit Catholicæ fidei, qui cæterorum est fundamentum, nempe de Hierarchica potestate, quàm si ab hostium oppugnationibus defendamus, arcem tuebimur Christianæ Religionis.

Puffendorfius in libello de *habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem*, per Jus Naturæ indirectè grassatur in potestatem Hierarchicam Ecclesiæ Romanæ. *Eum* sequuntur passim Doctores Acatholici, quicumque tradunt disciplinam juris Naturæ. His præluxit Lutherus, cum docuit. Primò solam fidem esse necessariam ad salutem. Secundo Legem nullam esse inter Christianos, adeoque etiam ordinis potestatem legislativam esse merum commentum. Tertiò Christianos esse perfectè æquales, & omnes Baptismo fieri Sacerdotes, nec aliud baptizato deesse, ut sacra administret, nisi Principis vocationem. Quartò Sacramentum Ordinis nullum esse. Quintò Unumquemque Christianum habere potestatem clavium. Sextò Non esse in Ecclesia Hierarchiam. His imbuti opinionibus posteri varias Ecclesiæ formas deinde finxerunt. Qui rigidiores dicuntur, Democratiam volunt; vel potiùs Anarchiam, hoc est omni carentem potestate, ad eum plane modum, quò Religio fuisset in statu naturali, nisi Deus aliud revelasset.

Unu-

Unuſquiſque enim ſibi ritus inſtituiſſet ad placitum.

Thomaſius, & alii ſyſtema Eccleſiæ comminiſcuntur hujuſmodi. Primò Docent, Eccleſiam non eſſe ſtatum, juriſdictione, ſeu imperio quodam inſtructum, ſed collegium, naturalis libertatis jure conflatum, ad cultum Dei publicum exercendum, cujus ſit condere Eccleſiaſticas leges, omni civili imperio exemptas. Secundò Sacrorum Jus eſſe duplex; alterum, quod apellant Majeſtatis, quòdque manat a ſummo imperio Jure Naturæ, eſtque primum ſuprema inſpectio in Eccleſiaſticum Collegium ad conſervandam quietem publicam: deinde poteſtas ſumma in cultu publico determinando, in privilegiis conferendis, in beneficiis diſponendis, in matrimoniis diſpenſandis, & quidquid pertinet ad externam juriſdictionem. Alterum vocant Jus Collegiale, quod non attingit *libertatem conſcientiæ*, *ſed directionem Eccleſiaſticam tantummodo externam*; *quale eſt Jus conſtituendi Miniſtros Eccleſiæ*, *adminiſtrandi Eccleſiaſtica bona*, *componendi lites per amicabiles conventiones*, *ordinandi diſciplinam externam pœnitentialem jejuniorum*, *feriarum indictionem*, *& a cætu ſeparationem*, *alienam tamèn a vi externa*. Tertiò Hæc jura, quæ Jure Naturæ Collegii ſunt Eccleſiaſtici, poſſe a Collegio cèrtis perſonis delegari, quæ dicantur Eccleſiæ repreſentativæ: & quia Principes ſummi ad jura ejuſmodi ſunt idonei ob Sacerdotium commune, ea vulgo transferri in Principes, quòd hanc externam directionem civili manu poſſint juvare. Hanc fere delegari a Principe Doctorum Collegio, quod Conſiſtorium dicitur. Quartò Sicut Jura Collegialia ſunt in Principem limitate translata, ita eum gaudere facultatè non judiciali, ſed merè hiſtorica, in decidendis Fidei controverſis.

Hinc

Hinc inferunt. Primò Juris dictionem internam, quæ Deo tribui ſolet, eſſe mere ſuaſivam, non coactivam; nullumque eſſe Magiſtros inter, & auditores diſcrimen, niſi obeundi Miniſterii ratione: juriſdictionem externam, & coactivam eſſe Principis propriam. Secundò Nullam in ſpiritualibus eſſe ſubjectionem; cum quiſque poſſit ſibi eſſe Judex in iis, quæ ſunt credenda.

Itaque ex illorum ſententia Summi Principes habent poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Prima eſt illis communis cum quovis Fidelium; Et cum pleraquæ ſacramenta Proteſtantes repudient, ac ſolum fere miniſterium Verbi Divini retineant, quòd nihil eſt aliud, quam deputatio a Principe facta; hæc poteſtas convenit Principi magis, quam cæteris, cum ipſe ſe poſſit deputare: ſed fere deſpicitur a Principe ipſo, qui ejuſmodi miniſterium ſummæ ſuæ dignitati indecorum exiſtimat. Putant etiam Proteſtantes, ineſſe Principibus poteſtatem juriſdictionis per delegationem quòad jura ſacra Collegialia; quòad jura majeſtatis eſſe in illis per proprietatem naturalem, cum ſummo Imperio, quod in ſubditos obtinent, connexam.

Hanc proprietatem naturalem appellant patronatum regium, qui Principibus tribuit neceſſario jus protectionis, proviſionis, & directionis; quo jure poſſunt res Eccleſiæ ordinare, conſtituere leges, convocare Concilia, Miniſtros deponere, & alios ſubrogare, judicia Eccleſiaſtica habere, de bonis diſponere, judicare de cauſis Eccleſiaſticis, diſpenſare in matrimonialibus, denique facere quidquid antea per jura Papalia, & Epiſcopalia diſponebatur circa Eccleſias, & Clerum in iis quæ poſtulant externum regimen.

Hujus

Hujus poteſtatis, quam Acatholici Doctores Principibus dabant exorta hæreſi Lutherana, argumentum ſumebant ex eo dicto Brocardi male intellecto, *cujus eſt regio, illius eſt religio*. Poſtea vero, ut conſcientiæ libertati magis conſulerent, religionem dixerunt liberam eſſe ab omni Imperio *ex Jure Naturæ*: nullam eſſe juriſdictionem Regum, Imperatorum, Papæ in interiores animi ſenſus; eam quoad externa partim in Eccleſiæ Collegio, partim in Principibus eſſe, ut antea diximus.

Recentiores igitur Acatholici. Primò Religionem internam eximunt ab omni poteſtate humana, & cujuslibet libertati ſubjiciunt, quæ libertas altius quidem eſt elevata per Evangelicam Legem, non tamen eſt altera. Secundò Ajunt poteſtatem ordinis, uti Jure Naturæ omnibus communem, ita in Baptiſmo Chriſtianis omnibus datam; cum nulla intercedat repugnantia, etſi per accidens, *ratione incompoſſibilitatis cum munere regio*, ut loquitur Puffendorfius, a Miniſterio Principes excludantur, vel potius illud obire dedignentur, aliiſque committant. Tertiò Principibus tribuunt poteſtatem juriſdictionis Eccleſiaſticæ *ex Naturali Jure* ſummi Imperii, quòd Jus Naturale lex Evangelica non alteravit, ſed potiùs perfecit.

Nunc eorum rationes afferamus, & confutemus. Primò. Religionem internam ab omni imperio eſſe liberam Jure Naturæ, ſic probant. Cultus Religionis cuivis eſt perſonalis, adeoque per alium exerceri non poteſt, ſaltem toto tempore vitæ, vel in omnibus, quæ hæc, vel illa Religio præſcribit: Ergo interna Religio cuivis eſt libera, & a quovis determinanda ratione, vel verbo Dei.

Reſpondeo, ex hoc tantum ſequi, eſſe liberam Religionem internam, quoad acceptationem, ita tamen,

Hinc inferunt. Primò Juris dictionem internam, quæ Deo tribui solet, esse mere suasivam, non coactivam; nullumque esse Magistros inter, & auditores discrimen, nisi obeundi Ministerii ratione: jurisdictionem externam, & coactivam esse Principis propriam. Secundò Nullam in spiritualibus esse subjectionem; cum quisque possit sibi esse Judex in iis, quæ sunt credenda.

Itaque ex illorum sententia Summi Principes habent potestatem Ordinis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ. Prima est illis communis cum quovis Fidelium; Et cum pleraquæ sacramenta Protestantes repudient, ac solum fere ministerium Verbi Divini retineant, quòd nihil est aliud, quam deputatio a Principe facta; hæc potestas convenit Principi magis, quam cæteris, cum ipse se possit deputare: sed fere despicitur a Principe ipso, qui ejusmodi ministerium summæ suæ dignitati indecorum existimat. Putant etiam Protestantes, inesse Principibus potestatem jurisdictionis per delegationem quòad jura sacra Collegialia; quòad jura majestatis esse in illis per proprietatem naturalem, cum summo Imperio, quod in subditos obtinent, connexam.

Hanc proprietatem naturalem appellant patronatum regium, qui Principibus tribuit necessario jus protectionis, provisionis, & directionis; quo jure possunt res Ecclesiæ ordinare, constituere leges, convocare Concilia, Ministros deponere, & alios subrogare, judicia Ecclesiastica habere, de bonis disponere, judicare de causis Ecclesiasticis, dispensare in matrimonialibus, denique facere quidquid antea per jura Papalia, & Episcopalia disponebatur circa Ecclesias, & Clerum in iis quæ postulant externum regimen.

Hujus

Hujus poteſtatis, quam Acatholici Doctores Principibus dabant exorta hæreſi Lutherana, argumentum ſumebant ex eo dicto Brocardi male intellecto, *cujus eſt regio, illius eſt religio*. Poſtea vero, ut conſcientiæ libertati magis conſulerent, religionem dixerunt liberam eſſe ab omni Imperio *ex Jure Naturæ*: nullam eſſe juriſdictionem Regum, Imperatorum, Papæ in interiores animi ſenſus; eam quoad externa partim in Eccleſiæ Collegio, partim in Principibus eſſe, ut antea diximus.

Recentiores igitur Acatholici. Primò Religionem internam eximunt ab omni poteſtate humana, & cujuslibet libertati ſubjiciunt, quæ libertas altius quidem eſt elevata per Evangelicam Legem, non tamen eſt altera. Secundò Ajunt poteſtatem ordinis, uti Jure Naturæ omnibus communem, ita in Baptiſmo Chriſtianis omnibus datam; cum nulla intercedat repugnantia, etſi per accidens, *ratione incompoſſibilitatis cum munere regio*, ut loquitur Puffendorfius, a Miniſterio Principes excludantur, vel potius illud obire dedignentur, aliiſque committant. Tertiò Principibus tribuunt poteſtatem juriſdictionis Eccleſiaſticæ *ex Naturali Jure* ſummi Imperii, quòd Jus Naturale lex Evangelica non alteravit, ſed potiùs perfecit.

Nunc eorum rationes afferamus, & confutemus. Primò Religionem internam ab omni imperio eſſe liberam Jure Naturæ, ſic probant. Cultus Religionis cuivis eſt perſonalis, adeoque per alium exerceri non poteſt, ſaltem toto tempore vitæ, vel in omnibus, quæ hæc, vel illa Religio præſcribit: Ergo interna Religio cuivis eſt libera, & a quovis determinanda ratione, vel verbo Dei.

Reſpondeo, ex hoc tantum ſequi, eſſe liberam Religionem internam, quoad acceptationem, ita tamen,

ut peccet, qui Religionem evidenter credibilem, ac credendam ſibi propoſitam non acceptat; non quoad acceptatæ retentionem. Item ſequitur, a quovis eſſe determinandam ratione legibus conſentanea, non autem ratione qualicumque, vel verbo Dei juxta ſenſum privatum cujuslibet hominis, non juxta ſenſum unanimem Sanctorum Patrum.

Secundo ajunt, libertatem Religionis non eſſe Reipublicæ perniciosam, ergo admittendam.

Reſpondeo, hanc libertatem nocere tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ, eſſe legi Naturæ, & ſcriptæ, & Evangelicæ contrariam, inventum diaboli, viam planam ab ea ſterni ad atheiſmum, pugnare cum verbo Dei, & Patrum doctrina, eſſe alienam ab uſu primitivæ Eccleſiæ, damnatam ab ipſis Imperatoribus, tamquam originem in Republica omnium malorum.

Poteſtatem ordinis, uti Jure Naturæ omnibus *communem*, ita a ſummis Principibus poſſe, ſi ipſi *velint*, uſurpari, probant his argumentis Proteſtantes. Primò. In lege Naturæ duæ poteſtates, profana, & Sacra fuerunt conjunctæ, ut in Melchiſedecho, qui Rex erat, & Sacerdos. Sunt ergo etiam conjunctæ in lege gratiæ; cum gratia non deſtruat, ſed perficiat naturam.

Reſpondeo, duas illas poteſtates fuiſſe quidem conjunctas in lege Naturæ, ſed vi juris humani, non vi Juris Naturæ. Itaque Rex Melchiſedech non tenebatur Jure Naturæ panem, & vinum, quod obtulit Deo, in Sacrificium offerre; ſed cum Rex eſſet, ipſe libere potuit ſibi jus conſtituere hoc ritu externo colendi Deum, & Sacerdotium gerendi. Et quia typus fuit Chriſti Sacerdotis, inſtinctu Divino panem, & vinum protulit ad Sacrificium pacificum. Quocirca non bene procedit argumentum a lege Naturæ ad legem

Gra-

Gratiæ, in qua poteſtas Sacra eſt ordinis altioris, ac jure poſitivo, non hominum, ſed Dei, inſtituta per ejus Filium Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum.

Secundum argumentum: Etiam in lege Naturæ homo erat ordinatus ad finem ſupernaturalem. Ergo hominum ſocietati, atque adeo Principi conveniebat poteſtas proportionata, hoc eſt altioris ordinis.

Reſpondo nego conſequentiam Nam ſufficiebat poteſtas naturalis, ideſt liberum arbitrium ad præcepta etiam ſupernaturalia cum adjutorio gratiæ obſervanda, atque adeo ad finem ſupernaturalem obtinendum. Favet huic reſponſioni Angelicus Doctor, vel ſiquis alius eſt auctor pulcherrimi operis de Regimine Principum cap. 14. *Sane quia finem fruitionis Divinæ non conſequitur homo per virtutem humanam, ſed virtute Divina, juxta illud Apoſtoli ad Rom. cap. 6. Gratia Dei vita æterna; perducere ad illum finem non erit humani, Sed Divini regiminis.*

Tertium argumentum. Chriſtianæ Reipublicæ, quatenus eſt Chriſtiana, ex ipſa natura rei eſt conveniens ſacra poteſtas. Ergo ab ipſa Republica poteſt alteri delegari, & in Principem transferri.

Reſpondeo, competeret quidem Chriſtianæ Reipublicæ poteſtas aliqua Sacra ordinandi cultum Dei atque Chriſti, niſi Chriſtus ipſe hanc poteſtatem peculiari, ac præſtantiſſimo modo inſtituiſſet. Id quod evidens eſt ex Sacris Litteris Novi Teſtamenti. Itaque Sacerdotium in ſtatu legis Naturæ, qui aliquem Dei cultum requirebat, etiam publicum, ex generalibus quidem Naturæ principiis originem duxit, ſed jure poſitivo eſt definitum, & in Melchiſedech cum ſtatu Regio conjunctum. Fortaſſe hoc jus poſitivum fuit Divinum, cum dicat Script. Geneſ. cap. 14. *Erat enim Sacerdos Altiſſimi*; ita ut fuerit a Deo inſtitutus; vel

etiam humanum, ipso Melchisedech instituente. In Lege Scripta jussit Deus, ut ex Aaron stirpe Sacerdotes assumerentur. In Lege nova Christus instituit Sacerdotium excellentius, Ordinemque Hierarchicum, qui Scripturæ, & Patrum, & Conciliorum testimoniis, constanti denique Ecclesiæ traditione est comprobatus.

Quartum argumentum. Principes terreni regnant gratia Dei; deinde sunt Dei in terris vicarii: Nam, ut ait Sanctus Augustinus Quæstionum veteris, & Novi Testamenti part. 1. quæst. 9. *Adoratur in terris Rex, quasi Vicarius Dei*. Et Sanctus Isidorus lib. 3. Sententiarum, seu de summo bono *dedit*, inquit, *Deus Principibus Præsulatum pro regimine populorum*. Ergo Sacra potestas ita convenit Principi tamquam Dei vicario, sicut convenit Deo. Probatur consequentia; quippe est munus Vicarii procurare honorem & cultum ei, *a* quo fit Vicarius, convenientem, & in Sacris Litteris præscriptum. Deinde Reges vituperantur a Deo in Libris Veteris Testamenti ob sacra neglecta. Ergo illorum est propria sacra potestas. Reges dicuntur Pastores in Psalmo VIII. qui de pastu non corporali, sed spirituali debeant populo providere: dicuntur Ecclesiæ nutritii Isaiæ cap. 49.

Respondeo, Principes *Dei gratia* regnare regimine civili atque politico, cum omnis potestas a Deo sit; non regimine sacro, & Ecclesiastico: item Dei esse vicarios in temporalibus, non in Spiritualibus. Deus, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, duplicem in terris vicarium suum constituit, unum in temporalibus, alterum in Spiritualibus.

Quare illa Scripturæ testimonia vera sunt in sensu Catholicorum, non in sensu Protestantium; qui si *jure Imperii summi* Principibus tribuunt officium Vicarii

etiam

etiam in rebus, quæ ad ſalutem animæ pertinent, neceſſe eſt, illud tribuant etiam Regi Sinenſium, qui eſt idololatra, quod tamen dicere non audebunt; cum expreſſe repugnet D. Pauli Sententiæ prima Epiſtola ad Corinthios capit. 2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; ſapientiam vero non hujus Sæculi, neque Principum hujus Sæculi, qui deſtruuntur: Sed loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante Sæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus Sæculi agnovit.*

Ad probationem conſequentiæ dico munus Vicarii, Paſtoris, nutritii, in Patrum ſcriptis, & Sacris litteris expreſſum, eſſe Eccleſiam defendere, Eccleſiæ Miniſtros protegere, ut fructuoſe, ac pacifice Spiritualia tractent, Chriſtianam juſtitiam, & honorem Divinum promovere, Eccleſiæ hoſtes reprimere: Quod qui facere neglexerunt, a Deo merito vituperantur.

Poteſtatem juriſdictionis etiam ſacram Principibus ſummis convenire ſic probant Proteſtantes. Jure Naturæ debetur Principi ea poteſtas, quæ eſt neceſſaria ad publicam tranquillitatem. Ergò ſumma debetur, quæ nempe includat etiam Sacram poteſtatem, & excludat poteſtatem alterius æquè ſummam.

Reſpondeo Jure Naturæ convenire Principi ſummam poteſtatem in genere politico, non in ſacro. Nam poteſtas duplex in genere diverſo non repugnat fini publicæ tranquillitatis *per ſe*, hoc eſt ſervata debita ſubordinatione.

Argumentum Secundum. Repugnant primis principiis politiæ duo Reges in eodem Regno independentes; cum faciant *ſtatum in ſtatu*: Eſſent autem Rex, & Epiſcopus duo Reges in eodem Regno independentes. Ergò repugnant. Ergò Rex unus habet utramque poteſtatem, & profanam, & ſacram.

Re-

Reſpondeo Principium illud politicum : *Statum in ſtatu , principatum in principatu , Rempublicam in Republica eſſe vitandam ,* intelligi de ſtatu in ſtatu ejuſdem generis , non de ſtatu in ſtatu generis omninò diverſi , ſacri nempe , atque profani , ubi Principes duo juriſdictionem toto genere diverſam, ſuiſque limitibus circumſcriptam obſervant .

Reponunt ad hoc Proteſtantes : Diſcrimen hoc poteſtatum , profanæ & Sacræ non raro fuit bellorum cauſa inter Papam , & Cæſares . Ergò non illud intendit natura , quæ pacem reſpicit , tamquam publicæ felicitatis inſtrumentum .

Reſpondeo duas illas poteſtates , vel earum alterutram male adminiſtratam belli cauſam fuiſſe per accidens , non per ſe . Aliquando etiam Regia poteſtas in tyrannidem degeneravit , Ariſtocratia in Oligarchiam , hoc eſt , paucorum dominatum , Democratia in Ochlocratiam , hoc eſt multitudinis concitatæ ac turbulentæ Imperium . Id autem contigit non ratione Poteſtatis Regiæ , Ariſtocraticæ , aut Democraticæ , ſed eorum vitio , qui Rempublicam geſſerunt .

Ut ea , quæ dixi , contrahantur in ſummam , ita conſtituo , poteſtatem Sacram nullo modo eſſe propriam Poteſtati politicæ Jure Naturæ , ut falſo opinantur Acatholici . Primò quod poteſtas politica ex fine differat ab Eccleſiaſtica , cum hæc ſupernaturalem finem , id eſt æternam ſalutem in Patria Beatorum , illa naturalem reſpiciat . Secundò ex origine : nam Eccleſiaſtica a Deo eſt ut Auctore gratiæ ; politica item a Deo , ſed ut Auctore Naturæ . Tertiò ex objectis . Nam hæc habet objecta temporalia , id eſt bonum Reipublicæ temporale ; illa habet objecta ſpiritualia , principia ſcilicet Fidei , Sacramenta , Gra-

tiam

tiam Dei, cenſuras &c. Quartò ex univerſalitate, qua poteſtas Sacra debet in uno moderatore, hoc eſt, Romano Pontifice reſidere & per hunc aliis Eccleſiæ Rectoribus gradu inferioribus communicari, ne multiplicatis capitibus, judicia diverſa proferantur circa viam ſalutis: quæ ratio locum non habet in poteſtate politica. Quintò deniquè ex abſurdis, quæ ſequerentur, ſi ſacra poteſtas juris eſſet naturalis: quorum illud eſt maximum, quòd Ethnici Imperatores illa uti potuiſſent, & Chriſtianorum ſubditorum ritus ordinare, cenſuras ferre, controverſias ad religionem pertinentes dirimere, & alia præſtare, quæ Romani Pontificis, & Epiſcoporum ſunt munera.

Sed neque Jure Gentium, nec Jure Collegiali Communitatis Chriſtianæ in Principes translato, poteſtas Eccleſiaſtica ad eos pertinet. Nam Jus illud utrumque a Jure Naturæ originem trahit. Si igitur ſacram poteſtatem Naturæ Jus non attingit, ut dictum eſt; eamdem multo minus attingent jura illa inferiora quæ fundamentum habent in Jure Naturæ.

Confirmatur hæc veritas teſtimonio Imperatorum. Juſtinianus in Authentica, cujus eſt initium: *Quomodo oporteat Epiſcopos*; hæc habet: *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei a ſuperna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium: illud quidem Divinis miniſtrans, hoc autèm humanis præſidens, ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam. Conſtantinus Magnus, ut Ruffinus narrat* lib. 1. Hiſtoriæ additæ ad Euſebium cap 2. judicium inter Epiſcopos in Concilio recuſans, dixit: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis a Deo dati judices eſtis; & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolum, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum,*

rum, in medio autem Deos dijudicat Pſal. 81. verſ. Hebr. אֱלֹהִים נִצָּב בַּעֲדַת אֵל בְּקֶרֶב אֱלֹהִים יִשְׁפֹּט. Theodoſius junior in Epiſtola ad Synodum Epheſinam, quam Papa Adrianus refert ad Michaelem Imperatorem: *Illicitum eſt eum, qui non ſit ex ordine Sanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus*. Valentinianus, cum Epiſcopi poteſtatem peterent conveniendi in Concilio pro rebus Fidei, ultro profeſſus eſt, *ſibi, qui unus e laicorum numero eſſet, non licere ſe ejuſmodi rebus interponere*. Honorius Auguſtus ad Arcadium in cauſa Chryſoſtomi, inter Epiſtolas Innocenti primi, *Cum, ſi quid*, inquit, *de cauſa Religionis inter Antiſtites ageretur, Epiſcopale eſſe oportuerit judicium: ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis ſpectat obſequium*. Baſilius Imperator in Actis octavi Concilii Generalis: *De vobis (ſæcularibus) quid ampliùs dicam, non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem habere: hæc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt; qui ſanctificandi, ligandi, atque ſolvendi poteſtatem habent; qui Eccleſiaſticas, atque Cæleſtes adepti ſunt claves; non noſtrum, qui paſci debemus.*

CAPUT III.

De Habitudine Religionis Judaicæ ad Chriſtianam.

PUffendorfius docèt in Religione Judaica poteſtatem Ordinis fuiſſe penes tribum Leviticam, poteſtatem juriſdictionis manſiſſe in Regibus, adcoquè non fuiſſe ſtatum in ſtatu. Hinc idem colligit eſſe dicendum de Religione Chriſtiana, cum hoc tamèn diſcrimine, quòd Judaica fuit propria unius populi Hebræi, Chriſtiana patet omnibus gentibus illa

illa habuit Sacrificia; hæc (ut impie mentitur) habet nullum: in ea Sacerdotium fuit certis hominibus peculiare; in hac est omnibus Christianis commune. Addunt his alii Protestantes, potestatem Sacrorum in Judaicis Regibus semper fuisse, quamquàm post Babilonicam Captivitatem Levitici ordinis potentia creverit, & omnem potestatem jurisdictionis ad se pertraxerit.

Probant autem commentum suum his argumentis. Primò In lege antiqua præcepta fuit obedientia Principibus etiam paganis, ut Angelis Dei, unctis Domini. Ergò erant Sacra potestate insigniti.

Respondeo. Fuisse quidem *Reges unctos Domini*, hoc est, a Deo, vel Populi electione, vel successione legitima constitutos, ideoquè fuisse iis obtemperandum in iis, quæ temporalia respiciebant. Verùm Sacra illis attingere non licebat, ut mox ostendemus.

Secundò In veteri Testamento profana potestas cum Sacra fuit conjuncta, ut in Moyse, Heli, & aliis.

Rex Aza subvertit excelsa, Lucosque succidit, Ezechias confregit æneum serpentem: Rex Josaphat misit Principes, & Levitas ad docendum populum; constituit Sacerdotes ad judicia ferenda in causis Domini: Rex Salomon deposuit summum Sacerdotem Abiathar, & multavit exilio: idem templum extruxit, oblatisque victimis dedicavit: David congregavit Sacerdotes, & arcam reduxit: Ozias librum legis prælegit, fœdus cum Deo percussit.

Respondeo In Moyse, & aliis potestatem Sacram cum profana fuisse aliquando conjunctam extraordinario Jure, non ordinario. In Republica Hebræa, quæ Theodactica, hoc est, a Deo instituta appellatur, sivè aliqua necessitate, sivè temporum, aliarumque causarum malignitate, sivè Dei Consilio quæ-

dam ſunt facta, quæ in exemplum trahi ad Chriſtianam Rempublicam minimè poſſunt, quæ eſt ordinis altioris, & ex Chriſti inſtitutione ſuos habet antiſtites & miniſtros. Cæterum Reges Judaicos non habuiſſe Sacram poteſtatem jure ordinario, patet ex facto Samuelis, qui cum populi precibus fatigatus ei Regem dediſſet, noluit a Saule, primo utique Rege, Sacra tractari.

Rex Aza quòd fecit, non Sacra poteſtate fecit, ſed Regia, cum ſuſtulit idololatriam. Non enim Reges vetantur, quæ ſunt legibus naturalibus ac poſitivis adverſa, prohibere: imo tenentur ex officio peccata punire, & cultum Dei promovere. *In hoc enim*, ait S. Auguſtinus lib 3. contra Creſconium cap. 51. *Reges, ſicut divinitus eis præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala probibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam ad Divinam Religionem.*

Ezechias Regia poteſtate ſerpentem confregit, qui quamvis, jubentè Deo, ad Salvatorem Chriſtum repræſentandum erectus fuerit, quia tamèn Hebræo Populo carnali, impium cultum eidem adhibenti, occaſio ſcandali, & ruinæ ſpiritualis erat, Regis juſſu confringi poterat.

Joſaphat etiam in iis, quæ fecit, poteſtatem exercuit advocati & protectoris Eccleſiæ; quia convocare Sacerdotes & Populum, etiam ob finem ſpiritualem, non ſtatim denotat ſpiritualem Regis poteſtatem, ſed pietatem ac Zelum, quo Rex incenſus civilem ac Regiam poteſtatem direxit in bonum populi ſpirituale. Ipſe etiam conſtituit judices in cauſis domini, nominando, non Sacram poteſtatem eiſdem dando.

Salomon, cum mulctavit Abiathar Sacerdotem, vel

fe-

fecit Jure Naturali in cauſa perduellionis, vel Jure Divino extraordinario, quo Salomon implevit oraculum illud de domo Heli funditus evertenda, *ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo*; vel, quod eſt probabilius, non depoſuit Abiathar, ſed removit ab uſu muneris, ne quid turbarum Abiathar excitaret Jeroſolimis poſt mortem Adoniæ.

Arcam reducere, quòd fecit David, pietatis Regiæ fuit, non ſacræ juriſdictionis. Quippe Rex arcam nec portavit, nec tetigit. Sic & percuſſio fœderis nil ultra pietatem Regiam ſignificat: nam promiſſionem de ſervanda lege renovare, æque ac Sacram Scripturam prælegere, actiones ſunt Sacerdotibus laiciſque communes ut indicatur lib. 4. Reg. cap. 23. *Acquievitque populus pacto*. Textus verò Hæbraicus וַיַּעֲמֹד כָּל הָעָם בַּבְּרִית Ozias quidem incenſum obtulit, ſed ſtatim pœnas dedit: nam lepra percuſſus eſt.

Ex his ergò omnibus exemplis nulla oſtenditur fuiſſe in Regibus Sacra poteſtas: optimè verò conſtat, bonum ac fidelem Regem defenſorem eſſe debere Divinæ Fidei, ac veræ Religionis, diligentèr curando, ut omnes errores, & ſuperſtitiones contra veram & approbatam ab Eccleſia doctrinam a ſuo Regno arceantur.

Quod ſi concederem in Teſtamento veteri fuiſſe Sacram poteſtatem in Regibus, non tamen hinc ſequeretur, in Lege Evangelica idem eſſe dicendum. In hac enim eſt ordinis altioris Sacra poteſtas. Non legimus dictum Hebræorum Pontifici: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: Et, quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.*

CAPUT IV.

De Habitudine Religionis Christianæ ad vitam Civilem.

EST Dogma Catholicum, Ecclesiam Christi habere potestatem spiritualem jurisdictionis externæ, & quasi politicæ. Constat hæc veritas testimonio Scripturæ tribuentis Ecclesiæ jurisdictionem externam, hoc est, potestatem ligandi, solvendi, contumaces, tamquàm Ethnicos a se repellendi, cum D. Paulus in 2. Epistola ad Corinthios cap. 13. dicat: *absens scribo, ne præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem*: Deinde Christo promissum est Regnum in terris inchoandum, Ezechielis cap. 37. *Faciam eos in Gentem unam in terra, & Rex summus erit Dominus imperans.*

Quòd regnum non est quidem de mundo, ac temporale, sed est tamen in mundo spirituale. Ergò ut hoc Regnum spirituale in hoc mundo regatur ac conservetur, necessaria est potestas jurisdictionis externæ.

Puffendorfius cum suis hoc Dogma inficiatur in grandi Opere de Jure Naturæ & Gentium, & in libello de habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem. Quem longius confutare non est mei instituti, cum id jam fecerint, qui de Controversiis Christianæ Fidei Commentarios scripserunt. Rationes tamen quædam politicæ, quas ille affert ut a Republica excludat potestatem cujusdam Sacerdotis, ut ait, extranei, hoc est, summi Pontificis, brevitèr sunt refutandæ.

Religionem Catholicam in suspicionem Regibus

ac Principibus conatur adducere. Primò ob lectionem Sacræ Scripturæ promiscuè non permissam. Secundò ob Cleri ingentem magnificentiam, opes, aliaque commoda, tam pertinacitèr defensa obtentu Religionis. Tertiò ob Cleri sævitiam in adversæ partis fautores.

Respondeo Igitur, Calumniam esse Protestantium, qui dicunt, Religionem Catholicam debere merito esse suspectam ob Sacræ Scripturæ lectionem promiscuè non permissam, cujus promiscuus usus, & abusus Protestantes divisit in tot lacinias Sectarum, ut difficilè sit eas persequi numerando. Nam etiamnum hodie Lutherana labes alios ex aliis errores parit, *Indifferentismi fœcunda mater.*

Ad secundum dico, Magnificentiam Cleri, hoc est Hierarchiæ Ecclesiasticæ etiam quòad potestatem, ac bona temporalia, esse utilem Christianæ Reipublicæ, atque his temporibus necessariam. Nam Clero paupere languet cultus Dei, ac templorum, ut multis ab hinc Sæculis vidimus: hoc deficientè, in vitia solvitur populus, ac turbas agit.

Ad tertium dico, Protestantes insectari Tribunal Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, tamquàm tyrannicum Antichristum Sacræ Scripturæ, Patribus, & Conciliis adversum.

Sed immerito. Et experientia constat, serpentem labem hæreseos hoc maxime remedio comprimi, atque extingui.

CAPUT IV.

De Habitudine Religionis Christianæ ad vitam Civilem.

EST Dogma Catholicum, Ecclesiam Christi habere potestatem spiritualem jurisdictionis externæ, & quasi politicæ. Constat hæc veritas testimonio Scripturæ tribuentis Ecclesiæ jurisdictionem externam, hoc est, potestatem ligandi, solvendi, contumaces, tamquàm Ethnicos a se repellendi, cum D. Paulus in 2. Epistola ad Corinthios cap. 13. dicat: *absens scribo, ne præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem*: Deinde Christo promissum est Regnum in terris inchoandum, Ezechielis cap. 37. *Faciam eos in Gentem unam in terra, & Rex summus erit Dominus imperans.*

Quòd regnum non est quidem de mundo, ac temporale, sed est tamen in mundo spirituale. Ergò ut hoc Regnum spirituale in hoc mundo regatur ac conservetur, necessaria est potestas jurisdictionis externæ.

Puffendorfius cum suis hoc Dogma inficiatur in grandi Opere de Jure Naturæ & Gentium, & in libello de habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem. Quem longius confutare non est mei instituti, cum id jam fecerint, qui de Controversiis Christianæ Fidei Commentarios scripserunt. Rationes tamen quædam politicæ, quas ille affert ut a Republica excludat potestatem cujusdam Sacerdotis, ut ait, extranei, hoc est, summi Pontificis, brevitèr sunt refutandæ.

Religionem Catholicam in suspicionem Regibus

ac Principibus conatur adducere. Primò ob lectionem Sacræ Scripturæ promiſcuè non permiſſam. Secundò ob Cleri ingentem magnificentiam, opes, aliaque commoda, tam pertinacitèr defenſa obtentu Religionis. Tertiò ob Cleri ſævitiam in adverſæ partis fautores.

Reſpondeo Igitur, Calumniam eſſe Proteſtantium, qui dicunt, Religionem Catholicam debere merito eſſe ſuſpectam ob Sacræ Scripturæ lectionem promiſcuè non permiſſam, cujus promiſcuus uſus, & abuſus Proteſtantes diviſit in tot lacinias Sectarum, ut difficilè ſit eas perſequi numerando. Nam etiamnum hodie Lutherana labes alios ex aliis errores parit, *Indifferentiſmi fœcunda mater.*

Ad ſecundum dico, Magnificentiam Cleri, hoc eſt Hierarchiæ Eccleſiaſticæ etiam quòad poteſtatem, ac bona temporalia, eſſe utilem Chriſtianæ Reipublicæ, atque his temporibus neceſſariam. Nam Clero paupere languet cultus Dei, ac templorum, ut multis ab hinc Sæculis vidimus: hoc deficientè, in vitia ſolvitur populus, ac turbas agit.

Ad tertium dico, Proteſtantes inſectari Tribunal Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem, tamquàm tyrannicum Antichriſtum Sacræ Scripturæ, Patribus, & Conciliis adverſum.

Sed immerito. Et experientia conſtat, ſerpentem labem hæreſeos hoc maxime remedio comprimi, atque extingui.

CAPUT V.

De officiis erga ſeipſum.

DUobus tantum indigemus quoad vitæ conſervationem, & modum tranſigendi illam, ſcilicet victu, & veſtitu, juxta illud Pauli Epiſt. 1. ad Timotheum cap 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contentiſimus.* Ex lege naturali non indigent homines veſtimentis, nec ea tenentur adhibere In ſtatu enim innocentiæ cum tota lege naturali ſufficienter tegerentur juſtitia originali, ſi eam conſervaſſent in Adamo. Eſt ergo neceſſitas veſtimentorum pœna peccati originalis, ad tegendam verecundiam, qua inflicta poſt peccatum, primi parentes *conſuerunt ſibi perizomata*, ut in Libro Geneſis legimus.

Naturaliter tamen indigent homines alimentis, & tenentur iis uti. Patet ex corpore petente nutritionem, augmentum &c. Materia autem alimentorum non ſunt neceſſario carnes. Nam in ſtatu integritatis fuiſſet inordinatus uſus carnium, non ex Dei prohibitione, ſed ratione optimorum alimentorum Paradiſi terreſtris. Eadem ratio excluderet ab illo ſtatu uſum alterius cibi arte confecti, vini &c. non quia lege naturæ prohiberentur, ſed quia nec neceſſaria ea eſſent, nec ſine cura pararentur. Unde ſequitur, ex lege naturali revera non definiri ciborum qualitatem.

Ex lege naturali facultates hominis dirigendæ ſunt ad finem ordinatum. Finis autem ordinatus eſt finis honeſtus. Delectabilitas ipſa, ipſum levamen naturæ vel quælibet corporis commoditas, ſi fiant conſiderando ſolum naturam animalem, non ſunt bona, & honeſta; ut ſint enim bona, & honeſta, debent dirigi

ab humana natura, ut rationali. Hoc fit, quando ad operandum propter commoditatem naturæ adhibet homo rationis regulam, & judicat illam commoditatem esse sibi convenientem, etiam ut ratione regulatam.

Ex eo quod homo semper tenetur operari ut homo, & consequenter regulam rationis adhibere; infertur obligatio prædicta ex jure naturæ. Modus autem ille operandi satis est ad honestatem actionis, ut dixi. Loquor autem de operatione vere morali.

CAPUT VI.

De officiis erga Proximum.

NOn ratione naturæ lapsæ, sed ex lege naturali genus humanum propagatur per naturalem generationem. Patet ex sexuum distinctione cum similitudine naturæ. Inde tamen non infertur, præceptum matrimonii obligare singulos, etiam in statu innocentiæ. Nam dari posset etiam tunc ratio majoris boni in continentia.

Ex filiorum procreatione oritur naturaliter societas domestica, seu familiæ. Quod etiam docuit Aristoteles lib. 1. Politicorum cap. 2. Hæc Societas trahit cohabitationem necessariam viri, & uxoris ad filiorum generationem, & educationem: Nam recta institutio filiorum est de jure naturæ respectu parentum.

Matrimonii insolubilitas est de jure naturæ. Polygamia videtur jure naturæ prohibita.

Lex autem prohibens illam fundatur maxime in naturali justitia, & æqualitate inter virum, & uxorem, quoad mutuam corporis traditionem. Poligamia etiam contraria est paci, tranquillæ habitationi, &

con-

convenienti familiæ gubernationii quæ ſunt fines ſecundarii Matrimonii.

Societas plurium domorum, unde pagus exurgit, præſcindens a morali unitate, vel communitate, eſt de Jure Naturæ, ex generatione ſcilicet plurium filiorum, & ex ſuſceptione natorum ex natis, ſeu nepotum ex filiis. Societas etiam politica, qualis in Civitate, vel Regno conſpicitur, videtur eſſe de Jure Naturæ, non quidem propter indigentiam mutui auxilii tantum, ſed etiam propter majorem vitæ jucunditatem, & honeſtam communicationem, quam homo naturaliter amat. Quamquam hæc mutua corporum indigentia, & defenſio eſt in natura corrupta, adeoque non de Jure Naturæ in ſe ſimpliciter, & abſolute, ſed ſuppoſita corruptione.

Diſcrimen etiam naturale hominum poſt Adæ peccatum in ſcientia & virtute, eſt caput ſufficiens ad prædictam ſocietatem: ut minus docti & minus ferventes a Doctoribus & ferventioribus adjuventur, & qui peccant, ab aliis corrigi poſſint.

CAPUT VII.

De hominum Dominio in homines.

IN Jure Naturæ non datur dominium proprietatis unius hominis in alium ad uſus convenientes propter utilitatem Domini. Nam libertas eſt homini naturalis: & utrumque ſimul eſſe non poteſt, hoc eſt libertas, & ſervitus. Qua propter hæc non eſt de Jure Naturæ.

Aliunde verò introduci potuit, ſcilicet in pœnam: & idcirco non eſt contra Jus Naturæ. Alitèr eſt ratiocinandum de ſubjectione famulatus, quæ non in

pœ-

pœnam, ſed in ſubſidium eſt introducta. Dominium directivum, ſeu poteſtas imperandi aliis in eorum commodum, & commune bonum, eſt de Jure Naturæ. Sic poteſtas viri in uxorem, patris in filios, & in totam familiam, quæ quidem poteſtas ad bonum ordinem, & pacem inter ipſos neceſſaria eſt; & reſultat, poſito contractu matrimonii, & filii generatione. Politicus Principatus, debito modo introductus, eſt de Jure Naturæ, cum ſpectet ad conſervationem humanæ ac civilis Reipublicæ.

Ad regimen autem, & conſervationem civilis ſocietatis humanæ, non eſt de Jure Naturæ neceſſarius unus Monarcha. Sunt enim alii modi regiminum ſufficientes, licet fortaſſe non ita perfecti: & ideo nomine unius Principatus politici unum tribunal, ſeu poteſtatem unam intelligimus, ſive illa in una Naturali Perſona, ſive in uno conſilio ſeu congregatione plurium, tamquam in una perſona ficta, ut in uno capite exiſtat. Princeps autem politicus poteſtatem ſuam a Deo recipit: tum quia Principatus eſt de Jure Naturæ, & Jus Naturæ eſt a Deo: tum quia hoc innuit Scriptura: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; Proverbiorum capite octavo.

Licet ergo poteſtas civilis ſuprema immediate dicatur a Deo collata perfectæ hominum communitati per naturalem conſequutionem ex vi primæ creationis: & hominum communitas ex Jure Naturæ non teneatur ad unum regimen potius, quàm ad aliud; tamen poſtquam in unam Perſonam poteſtatem tranſtulit, nequit citra injuſtitiam ab illius dominio recedere, vel illius poteſtatem imminuere.

Poteſtas hæc reſultat naturaliter in humana natura (ubi homines libere in unam communitatem perfe-

ctam congregantur, & politice uniuntur) ab Auctore naturæ ratione ſuæ providentiæ: & idcirco dicitur collata immediate a Deo. At determinatio ad certum modum regiminis eſt arbitrio hominum. Poteſtas ſuprema civilis non poteſt ferre leges de actibus pure internis.

Hæc enim poteſtas ad exteriorem pacem & honeſtatem ſocietatis humanæ ordinatur, ad quam nihil referunt actus pure interni. Poteſt tamen de his actibus legem ferre, quatenus ſunt connexi cum actibus externis. Item poteſt ferre leges obligantes in conſcientia. Nam poteſtas ferendi leges debet habere vim cogendi, ut patet: coactio autem ſine poteſtate obligandi in conſcientia vel eſt moraliter impoſſibilis, quia coactio juſta ſupponit culpam; ſed culpa non eſt, ubi non eſt obligatio in conſcientia: vel eſt inſufficiens; quia non poſſet in multis caſibus neceſſariis ſufficienter Reipublicæ ſubvenire.

Poteſtatis civilis, etiam ſupremæ, capax eſt omnis homo, quem natura, ſpecialis lex, aut conſuetudo non repellit. An natura repellat rationis uſu carentes, quales infantes, ebrii &c. eo quod cenſeantur ſimpliciter inepti ad regimen, per plures diſtinctiones Jureconſulti definiunt. Muliebrem ſexum admittit non infrequens experientia, quam naturæ juri oppoſitam nemo facile dixerit.

Summa poteſtas ſub ſe continet varia jura. Horum alia ſunt majora, alia minora: prima ſunt cum poteſtate ſumma neceſſariò connexa. Secunda aliis etiam communicabilia.

Illa reſpiciunt poteſtatem tuendi Rempublicam; hæc ſubſidia, & opes, ad tuendum requiſitas. Unde fluit officium Principis primarium, ut civitas ab internis incommodis tuta ſit, & externis. Ad interna incom-

moda evitanda, ſecuritatemque conſervandam conducit una, & unicè vera Religio: Unde jus Sacrorum in protegenda Eccleſia, adjuvando Eccleſiaſtico ordine, excludendis religionibus falſis, & peregrinis, novatoribus exterminandis. Habenda eſt item cura juſtitiæ ferendis legibus, conſtituendis judiciis ac Magiſtratibus, proponendis pœnis ac præmiis. Quare hæc jura Majeſtatis, ſeu Principatus ſunt propria: Item alia, quæ publicæ neceſſitates requirunt, qualia ſunt jura tributorum, vectigalium, commerciorum, & opificiorum inſtituendorum, jus cudendæ monetæ, ordinandi contractus, definiendi rerum pretia, conſtituendi pondera & menſuras, erigendi Collegia, Societates, Academias &c. Ad externa incommoda evitanda conſervari debet pax, vel per bellum reparari. Inde naſcitur jus pacis, ac belli, fœderum, legatorum: de quibus in Parte Secunda hujus Operis agendum erit. Et quidem copioſius, quam hactenus feci, propter materiæ dignitatem & ubertatem, utpote quæ multa multorum officia, ad Jus Naturæ, & Gentium pertinentia complectatur. Nunc de vi obligandi quam obtinent leges, & quomodo peccent qui eas violant, differendum.

DISPUTATIO VIII.

De Lege, ejusque vi obligandi.

CAPUT PRIMUM.

De Lege in Genere.

LEx est commune præceptum, justum, ac stabile, sufficienter promulgatum. Per illud *commune* excluduntur præcepta particularia; per alias vero particulas indicantur omnia, quæ in lege possunt desiderari. Hæc definitio communis est apud Theologos, & Jurisconsultos.

Non contentus hac definitione Puffendorfius aliam tradit Lib. 1. de Jure Naturæ, & Gentium capit. 6. *Lex commodissime videtur definiri per Decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.*

Verum juxta hanc definitionem etiam iniqua Superioris alicujus decreta dici deberent leges; quod quidem & Philosophorum, etiam Ethnicorum, sententiis, & rectæ rationi dissonum est. Cicero de legibus lib. 2. ait: *Necesse est igitur, legem haberi in rebus optimis: prorsus assentior. Quid? quod multa perniciosa, multa pestifera, sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quàm si latrones aliquas consensu suo sanxerunt? Nam neque medicorum præcepta dici vere possint, si qua inscii, imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo lex cuicuimodi fuerit illa, etiamsi pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergò est lex justorum, injustorumque distinctio ad illam antiquissimam, & rerum prin-*

cipem

cipem expressa naturam, ad quam leges hominam diriguntur; quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt & tuentur bonos. Præclarè intelligo; nec verò jam aliam esse ullam legem puto non modò habendam, sed ne appellandam quidèm. Et ibidem ait: *legem condi debere ad vitam justam, quietam, & beatam: & ideò qui leges injustas condidere, quidvis potiùs tulisse, quàm leges.* Ratio autèm est clara; quia lex est mensura rectitudinis: Lex autèm iniqua non est mensura rectitudinis operationis humanæ: nàm potiùs actio illi conformis iniqua est. Non est igitùr lex; sed ad summum participat nomen legis per quamdam analogiam & abusionem vocabuli: ut dici solent lex mundi, lex duelli, & similes; quatenùs in ordine ad aliquem finem certum præscribunt operandi modum.

Legis quædam proprietas vis est obligandi. Hanc vim lex habet a Superiore, ut ab habentè publicam potestatem. Potestas autèm, quæ requiritur ad leges ferendas, est potestas jurisdictionis, quæ per se primò respicit communitatem perfectam: neque sufficit potestas dominativa, quæ est circà privatas personas, vel ex Jure Naturæ tantùm, ut Patris in Filium; vel suppositio etiam pacto humano, ut viri in uxorem, in ordine ad gubernationem domus, aut personæ; vel ex Jure Gentium, aut Civili, ut Domini in servum bello captum; vel ex humano contractu, ut Domini in servum, qui se illi vendidit: quò spectat potestas Superioris in ordine Religioso respectu cujuslibet eidem subjecti per votum obedientiæ. Residet autèm in potestate jurisdictionis major vis coercendi, quàm in dominativa.

Et ita non licèt Domino sævire in servum, ut dicunt jura civilia; expeditque Reipublicæ, ut severior correctio non nisi auctoritate publica fiat. Potestas

ſtas autèm jurisdictionis per ſe eſt poteſtas publica, & ad communitatem ordinata. Jam verò quia legislatio eſt potiſſimus actus, quo Reſpublica gubernatur, idque propter ejus commune bonum ferri debet; idcircò per ſe ſpectat ad poteſtatem gubernativam Reipublicæ, ad quam pertinet procurare ejus commune bonum. Hæc autèm eſt poteſtas jurisdictionis.

At non omnis poteſtas jurisdictionis ſufficit ad leges ferendas. Nàm ordinarii judices habent jurisdictionem, & tamèn leges nequeunt condere. Requiritur ergò principalis quædam, & primæva poteſtas in illo ordine. Eſt enim condere legem actus præcipuus gubernationis Reipublicæ. Poteſtas autèm hæc primariò, & per eſſentiam eſt in Deo; communicatur autèm Regibus per quamdam participationem juxtà illud Sapientiæ 6. *Audite Reges: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis.*

In omni rurſùs communitate eſt aliqua poteſtas Suprema in ordine; in Eccleſia Sanctus Pontifex, in Regno temporali Rex, in Republica, quæ Ariſtocraticè regitur, Optimates. Non enim poteſt eſſe corpus, niſi ſit monſtroſum & mutilum, ſine capite.

Requiritur in Legislatore ex parte intellectus judicium, quo ſtatuat rem talem eſſe Reipublicæ convenientem, & expedire ut ab omnibus ſervetur. Lex enim debet eſſe juſta, & idcircò etiam lata prudentèr. Ex parte voluntatis requiritur actus, quo Princeps velit obſervari id, quòd expediens judicavit: actus verò voluntatis reſpicit obligationem ſubditorum. Poſt hæc neceſſe eſt, ut manifeſtetur ſubditis decretum illud ſufficienti propoſitione.

Puffendorfius materiam legum in genere eſſe defini-

nivit, *quidquid ab iis a quibus feruntur, fieri poteſt*, ſaltèm eo tempore, quo leges promulgantur.

Sed Franciſcus Suarez, aliique Catholici animadvertunt., materiam legis debere eſſe juſtam: & nomine juſtitiæ complectuntur conditiones a D. Iſidoro lib. 5. Etymologiarum cap. 2. relatas nimirùm, quòd *Religioni congruat*, *quòd diſciplinæ conveniat*, *quòd ſaluti proficiat*. Aliquandò actus præcepti per legem ſupponuntur boni & honeſti de ſe, & per legem accipiunt tantùm neceſſitatem & obligationem, quia anteà erant voluntarii, ut de actu audiendi Miſſam, jejunandi, vel ſimilibus. Aliquandò lex datur de opere indifferente; ut de ferendis, vel non ferendis armis, tali tempore & loco; & tunc actus fit bonus, & ex efficacia, & fine legis.

CAPUT II.

De Lege Æterna.

OMnis Lex àliquo modo eſt a lege æterna, & ab illa habet vim obligandi. Sumitur ex D. Auguſt. qui lib. de vera Religione cap. 31. ait: *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum eſt, ut ſecundum incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum vetandumve, diſcernat*. Et lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. *Nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ex lege æterna non derivetur*. Et quæſt. 67. in Exodum: *Lex æterna Dei eſt, quam conſulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent*. Ratio autèm generalis reddi poteſt; quia lex æterna eſt lex per eſſentiam, & omnis alia eſt per participationem: ergò neceſſe eſt, ut omnis alia lex

ſit

ſit effectus legis æternæ. Prætereà lex duo requirit; unum, ut ſit juſta & rationi conſentanea; aliud, ut ſit efficax ad obligandum: Sed omnis recta ratio creata eſt ex participatione divini luminis, quod ſignatum eſt in nobis; & omnis poteſtas hominum deſuper datur, & a Domino Deo eſt. Ergò omnis lex in hominibus exiſtens eſt ex lege æterna. Et utrumque ſignificavit Divina Sapientia, cum dixit Proverbiorum cap. 8. *Per me Reges regnant*, utique quantùm ad poteſtatem: *Et legum conditores juſta decernunt*; videlicèt quò ad rectam rationem.

Eſſe in Deo legem æternam, eſt communis Theologorum ſententia. Cum enim in Deo ſit Providentia, neceſſariò ſupponi debet in eo æterna quædam ratio practica totius diſpoſitionis, & gubernationis Univerſi. Hanc utique Ethnicorum ſapientiſſimi in Deo agnoverunt. Sic Tullius in 2. *libro de* Legibus: *Hanc video Sapientiſſimorum eſſe ſententiam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quoddam, quod mundum regit, imperandi, prohibendique ſapientiâ.* Extant Manilii Libro primo de Aſtronomia verſus illi:

Hoc opus immenſi conſtructum corpore Mundi,
Membraque naturæ diverſæ condita forma,
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis
Vis animæ divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Quarè dici optimè poteſt, legem hanc æternam non eſſe regulam actuum divinorum ad intra: nec eſſe regulam actuum divinorum ad extra, quatenùs morales ſunt, & honeſti: Nam illos conſtat non dirigi, ſed ab intrinſeco habere, ut recti ſint; hos

neque

neque dirigi ex eo patet, quia Deus nec Superiorem habet, nec se ipsum per modum præcepti & legis potest obligare: cum non sit sibi superior, & rectum operetur ex naturali rectitudine, & nequeat operari contra rectum, vel contra suum decretum. Quarè dictamina practica de iis, quæ decent Deum, non proponunt præceptum, sed tantùm indicant, quid rei natura habeat. Lex autèm æterna habet rationem Legis respectu rerum, quæ gubernantur a Deo, ut secundùm illam moveantur, non respectu Dei, qui nullum, ut dixi, habet Superiorem. S. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 27. ajebat: *Lex æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.*

Hæc autèm Lex æterna, ut est propriè præceptiva respectu hominum, habet vim obligandi de se, si sufficientèr promulgetur & applicetur. Deus enim habet supremam imperandi potestatem: ergò & obligandi. Imperat autèm per suam legem æternam. Ejus enim Imperium non incipit in tempore. Ergò per eamdem obligat. Obligat enim verò in tempore, habito ad creaturas respectu: Sed vis obligandi fuit ab æterno. At quoniàm æterna hæc lex non est per se ipsam hominibus viatoribus nota, debet utique vel in aliis legibus, vel per alias innotescere. Et quidèm omnes necessariò vident aliquam participationem legis æternæ in se ipsis; cum nemo utens ratione sit, qui non judicet aliquo modo honestum esse faciendum, turpe vitandum. Aliqui rursùs assequuntur legis æternæ cognitionem, vel naturali discursu, vel perfectiùs per revelationem Fidei; tandem per leges justas, temporales, ac creatas. Ut enim causæ secundæ ostendunt primam, & creaturæ Creatorem; ita leges temporales, quæ participatio

ſunt legis æternæ, fontem, a quo manant, oſtendunt. Atque idcircò vel in legibus inferioriribus, vel per leges inferiores poſſe innoteſcere æternam legem perſpicuum eſt: & quidèm non per directam cognitionem ſub ratione participationis legis æternæ, ſed veluti exercitè & virtualitèr.

DISPUTATIO IX.

De proxima regula bonitatis, & malitiæ humanorum actuum, quæ eſt recta ratio, ſeu conſcientia.

CONſcientia in genere nihil eſt aliud, quàm *ratio humana*. Undè nomen traxit dictamen conſcientiæ, quia ratio per iſtud nobis dictat, quid licitum ſit vel illicitum, quid a Deo *præceptum vel* prohibitum, quid ſuaſum, vel permiſſum. Conſcientia vel eſt actualis, vel habitualis. Prima eſt actus rationis, quo quis judicat aliquid tamquàm conforme vel difforme legi divinæ, hìc & nùnc faciendum, vel omittendum.

Secunda eſt habitus inclinans ad ejuſmodi dictamina; & pròut inclinat ad prima quædam univerſaliſſima dictamina, exempli cauſa, jus cuique tribuendum, dicitur ſyndereſis: prout inclinat ad dictamina magis particularia, exempli cauſa, quid hic & nùnc ſit agendum, dicitur ſimplicitèr conſcientia.

In priore ſenſu a Deo naturæ Auctore indita eſt, qui fecit *hominem rectum*, neque naturam deſtituit in neceſſariis. Quare, ut ait S. Thomas in 1. p. q. 79. art. 12. in corpore, *oportet naturalitèr nobis eſſe indita principia operabilium, ſicut indita ſunt principia ſpeculabilium.*

Con-

Conſcientia dividitur primò in rectam, & erroneam. Recta eſt quæ verè dictat licitum vel illicitum, quod re ipſa tale eſt. Erronea, quæ dictat licitum aut illicitum, quod re ipſa non eſt tale. Hæc ſubdividitur in vincibilem & invincibilem: vincibilis in affectatam, craſſam, & levem.

Dividitur ſecundò in laxam, quæ ſolùm mortalia majora curat, & in Phariſaicam, quæ magna parvi, parva magni facit.

Tertiò in certam, tutam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam: de quibus omnibus brevitèr dicam, præterquàm de probabili, quam clare, ac diligentèr exponere decrevi, ut lector intelligat, a nonnullis probabiliſmum, quem non intelligunt, immeritò reſpui.

CAPUT I.

De conſcientia erronea, dubia, tuta, certa, ſcrupuloſa.

ESt ſemper peccatum operari contra conſcientiam erroneam. Probatur ex Apoſtolo ad Rom. cap. 14. *Qui autèm diſcernit* (ſcilicèt inter cibos, ſibi perſuadendo aliquos præ aliis eſſe illicitos) *ſi manducaverit, Damnatus eſt, quia non ex fide; omne autèm, quod non eſt ex fide* (hoc eſt ex rationis dictamine, ut explicant Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique Patres communitèr, *Peccatum eſt* Peccat ergò, qui comedit cibos licitos, putans eſſe illicitos; putat enim ex conſcientia erronea, peccatum eſſe comedere, & tamèn comedit.

Dubium eſt ſuſpenſio animi non valentis ſe determinare pro alterutra parte contradictionis. Varium eſt.

Primò negativum, quandò iſta ſuſpenſio oritur ex eo, quòd pro neutra parte rationes appareant. Secundò poſitivum, quandò ſuſpenſio oritur ex eo, quòd appareant rationes pro utraque parte æquales, ità prorſùs, ut hæreat anceps intellectus. Tertiò exercitum, quando præciſe intellectus hæret ſuſpenſus. Quartò Signatum, quandò intellectus actu reflexo judicat ſe dubitare. Quintò facti, cum dubitatur, an res ſit, nec ne. Sextò Juris, utrùm liceat, an non liceat. Septimò Speculativum, quandò verſatur circa actionem humanam modo generali abſtrahendo a particularibus circumſtantiis; ut, An liceat vendere rem, de qua dubitatur utrùm ſit aliena. Octavò practicum, quod verſatur proximè circa actionem hìc & nùnc exercendam, ſpectatis omnibus circumſtantiis; ut, An mihi liceat vendere rem, quam Titius mihi dedit cum talibus verbis ac tali geſtu, ut dubitem, utrùm mihi illam donaverit, an commodaverit.

Peccatum eſt operari ex conſcientia practicè dubia. Qui enim exercet opus, de quo, ſpectatis omnibus, dubitat, utrùm ſit peccatum, interpretativè vult malitiam peccati, de qua dubitat: nam eo ipſo æquè vult opus, ſive ſit peccatum, ſive non.

Conſcientia tuta eſt, quæ judicat tutum eſſe id eligere, quod eſt legi conformius, vel quod ſtat pro lege contra libertatem: exempli cauſa, cum ſacerdos judicat, tutiùs eſſe recitare officium Matutinum ante Miſſam, quàm poſt Miſſam.

In dubio practico tutior pars eſt eligenda; exempli cauſa, omittendo actionem, ſi in illa appareat periculum peccati, & in ejus omiſſione nullum.

In dubio ſpeculativo invincibili tutior pars eſt ſequenda. Primò Quandò jure poſitivo ita conſtitutum eſt capite *Ad audientiam*, & capite *Significaſti*, & capi-

pite ultimo. *De homicidio*, ubi expreſſe decernitur, ut dubitans de homicidio a ſe commiſſo cenſeatur irregularis, ob hanc rationem, quòd *in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*. Ubi eſt notandum, Pontifices ita decreviſſe ob ſpecialem reverentiam Sacri miniſterii, & uſos eſſe illa ratione, non tamquàm continente præceptum naturale per ſe obligans, ſed tamquàm proponente generale conſilium, quo inducti ita decreverunt in eo caſu particulari. Idque colligitur ex citati Capitis *Significaſti* verbis hujuſmodi, *cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare*. Quarè hæc diſpoſitio extendi non debet ad irregularitatem ex aliis cauſis, & multo minùs ad alias materias; imò neque ad irregularitatem ex homicidio, in dubio juris; exempl. gr. Cum dubitas, utrùm incurreris irregularitatem occidendo Turcam volentem comburere templum Chriſtianorum. Nam Capite, Is, *qui de ſententia excommunicationis* jure eſt cautus, ut nemo ob aliquod crimen cenſendus ſit irregularis, niſi in jure expreſſum ſit.

Secundò Tutior pars eſt ſequenda, cum eſt periculum damni, quòd ſic dubitans tenetur cavere, exempl. gr. injuriæ tertii, nullitatis Sacramenti &c. Hinc illicitum eſt bellum offenſivum in dubio juris.

Tertio. Quando poſſeſſio ſtat contra dubitantem. Hinc inferior dubitans, an Superior juſtè imperet, tenetur obedire; quia poſſeſſio non ſtat pro libertate ſubditi, ſed pro auctoritate ſuperioris. Itèm qui dubitat, an ſatisfecerit voto, quod certo emiſit, tenetur implere; quia votum eſt in ſua poſſeſſione.

Conſcientia certa eſt, quæ judicat aliquid ita ſe habere, ut prudentèr non poſſit dubitare de oppoſito.

Ad operandum licitè requiritur conſcientia certa, non quidèm certitudine metaphyſica, in humanis ſæ-

pe impoſſibili; ſed morali, excludente prudentem formidinem de oppoſito.

Probatur. Qui ſe voluntariè exponit periculo peccati, peccat, ut patet ex Eccleſiaſtici cap. 3. *Qui amat periculum in illo peribit* : ﻭﻣﻦ ﻳﺤﺐ ﺍﻟﺨﻄﺮ ﻓﻴﻪ ﻳﻬﻠﻚ sed qui operatur cum prudenti formidine, ne ſua actio ſit mala, exponit ſe periculo peccandi, cum ita judicet ſuam actionem hìc & nunc eſſe licitam, ut ſimùl judicet, fortaſſe eſſe illicitam.

Conſcientia ſcrupuloſa eſt ſuſpicio, ac formido orta ex levibus fundamentis, dictans peccatum eſſe, ubi revera non eſt, & hominem anxium reddens in operando.

Cauſæ ſcrupulorum ſunt primò Complexio timida, ſuſpicax, & melancholica. Secundò inconſtantia mentis. Tertiò ignorantia. Quarto occulta ſuperbia, qua quis proprio judicio nimiùm fidit, nec acquieſcit *alieno*. Quinto nimius timor peccandi. Sexto ſuggeſtio Dæmonis, & Divina permiſſio ad punitionem peccatorum præteritorum, ad patientiæ experimentum, & alios fines.

Licet, & plerumque expedit agere contra ſcrupulum ſtrictè ſumptum; quia non eſt vera conſcientia, ſed umbra conſcientiæ; cum non ſit judicium ſaltèm perfectum, ſed ſolum fortis apprehenſio & formido peccati; vel ſi ſit judicium, eſt ſpeculativum, cum quo ſtare poteſt judicium practicum de honeſtate actionis hic & nùnc, omnibus ſpectatis.

CA-

CAPUT II.

De Conſcientia probabili.

COnſcientia probabilis eſt judicium opinativum de aliqua re: Opinio probabilis eſt, quæ habet pro ſe fundamentum prudenti judicio ſolidum, & non repugnat aut veritatibus ab Eccleſia receptis, aut evidenti rationi, aut communi Doctrinæ a Theologis traditæ. Quarè quò plùs opinio participaverit utramque harum rationum, eò erit probabilior. Advertendum hìc eſt, aliud eſſe, opinionem probabilem, aliud tutiorem. Primum dicitur in ordine ad veritatem magìs vel minùs oſtenſam: hoc autèm ſecundum videtur dicere ordinationem ad aliquem finem, ſeu majorem utilitatem ad illum. Patet hoc in ſententia negante peccatorem teneri ſtatìm pœnitere poſt peccatum, quæ eſt probabilior affirmante: hæc magis tutior in praxi, cum ſit utilior ad finem recedendi a periculo peccati & damnationis.

Certum eſt hominem prudentèr operari juxta probabilem cognitionem, quandò aliam meliorem conſequi non poteſt. Tota ergò hujus materiæ difficultas conſiſtit in opinione comparata cum alia. Poſſunt inter ſe comparari opiniones æque probabiles, ſed non æque tutæ. Nàm ſi in omnibus æquales ſunt, libera eſt optio. Rurſùs poſſunt eſſe opiniones ità inæquales, ut minùs probabilis ſit tutior ad aliquem finem: aliquandò verò, quæ probabilior eſt, poteſt etiam eſſe tutior. Denique poteſt comparari una probabilis vel probabilior ad certam: interdum enim eſt certum, in aliquo actu, vel omiſſione nullum eſſe peccatum; & tamèn quod contrarium etiam liceat, po-

teſt

teſt non eſſe certum, ſed probabile, vel probabilius.

His ſuppoſitis, variæ ſunt ſententiæ. Prima abſolutè, & ſine limitatione dicit, licere ſemper uti opinione probabili, relicta etiam probabiliori. Ita Medina, primus propagator Probabiliſmi. Fundamentum eſſe poteſt, quia vel ſimplicitèr licet, vel numquàm; quia eadem eſt ſemper ratio: dicere autèm, numquam licere, eſt duriſſimum: Ergò licet ſemper; quia illa opinio eſt ſufficiens humanæ cognitioni ejus, quod fieri poteſt, ſatiſque conformis rectæ rationi. Item quia non poteſt homo ponderare omnium opinionum fundamenta: ac denique quia etiam in probabilioribus opinionibus poteſt timeri falſitas; quia, ut Ariſtoteles ait, multa falſa ſunt probabiliora veris.

Secunda Sententia eſt extremè contraria, ſemper eſſe certum præferendum probabili, vel probabiliori, juxta illud principium juris: *Tene certum, & omitte incertum*; & id, quod probabilius eſt, minùs probabili. Ita Conradus, S Antoninus, Adrianus, Soto. Ratio eſſe poteſt, quia ſi homo debet ferre judicium inter res probabiles, neceſſariò judicat verum, quod judicat probabilius. Ergò agere contra tale judicium eſſet agere contra prudentiam, & contra conſcientiam Item, quia ſic agendo exponit ſe quis majori periculo operandi malum. Quod confirmatur ex illo principio. *In dubiis tutius eſt eligendum*: Sed opinio probabilior videtur tutior in conſcientia, licet ad alios fines non ſit utilior.

Tertia Sententia eſt, opinionem tutiorem eſſe ſequendam, ſive probabilis ſit, ſive probabilior. Mihi videtur diſtinctione utendum. Interdùm enim opiniones verſantur circa jus ipſum, ſcilicèt, an hoc ſit prohibitum vel præceptum, nec ne? interdùm verò

cir-

circa res ipsas, ut sunt opiniones de Sacramentis, ut, an hoc modo facta teneant, necne; & in medicina, an hoc pharmacum sit utile, vel pernicioſum. In jure civili, an iſte sit hæres, vel non &c.

Dicendum primo, quotieſcumque est opinio probabilis, hanc actionem non esſe malam, vel prohibitam, vel præceptam, potest aliquis formare conſcientiam certam, conformem tali opinioni. Favent huic concluſioni multa, quæ adducit Navarrus. Favent etiam Sylveſter, Angelus de Clavaſio, & ipſe S. Antoninus in 1. part. titul. 3. cap. 10 Ratio est, quia excedit ordinarium modum humanæ facultatis majorem cognitionem obtinere in ſingulis actionibus.

Itèm, quia eſſet intolerabile onus obligare omnes homines ad comparandas inter ſe ſingulas opiniones. Præterea exiſtimo illam rationem ſufficientem, quia quamdiù est judicium probabile, quòd nulla ſit lex prohibens, vel præcipiens actionem, talis lex non est ſufficientèr propoſita, vel promulgata homini. Quarè cum obligatio legis ſit ex ſe oneroſa, & quodammodò odioſa, non urget, donec certius de illa conſtet. Neque contra hoc urget aliqua ratio; quia tunc re vera contraria pars non est tutior in ordine ad conſcientiam; neque ibi eſt aliquod dubium practicum, nec periculum. Intelligenda est autèm hæc concluſio præciſe ex directa obligatione illius legis, de qua verſantur opiniones. Nam fortaſſe aliundè ex fine extrinſeco, vel ex alia obligatione quaſi reflexa poterit aliquis interdum teneri ad operandum, vel non operandum juxta aliquam probabilem opinionem Et ex hac concluſione primò definitur illa quæſtio; An debeat confeſſarius conformari opinioni pœnitentis, ſi probabilis est. Dicendum est enim debère, quia jam pœnitens est bene diſpoſitus, & tuta conſcientia ope-

ratur. Secundò definitur altera quæstio, utrùm liceat consilium danti sequi opinionem probabilem, etiam ea relicta, quam existimat probabiliorem. Dico posse id fieri, dummodò qui consilium dat, veritatem in suis responsis retineat; quia non dicit simplicitèr id sibi probabilius videri, sed solùm, posse id sine peccato fieri ex probabili sententia aliorum. An verò expediat ita dare consilium, ad prudentiam spectat. Secùs verò est in docendo. Nam tenetur præceptor saniorem, & veriorem doctrinam docere: in quo potest per gradus peccare; juxta materiæ qualitatem.

Rectè autèm faciunt, qui licèt sentiant, moralem aliquam opinionem esse probabiliorem, simùl docent, quandò contraria sit probabilis, & tuta in praxi. Et ita obtinuit usus, qui valdè confirmat conclusionem positam. Tandèm ex ea infertur, non oportere *semper* tutiorem viam eligere. Voco autem tutiorem illam, de quo certus quispiam est, in ea nullum esse peccatum; quia esset intolerabile, & præter humanam facultatem: aliòqui quotiès tantum est probabilis opinio, vel probabilior, quòd non sit obligatio hìc, & nùnc *jejunandi*, vel faciendi hunc contractum, deberet homo *jejunare*, vel abstinere ab illo contractu. Sed consequens est durissimum. Ergò & antecedens.

Dicendum Secundò. Quandò opiniones versantur circa res ipsas, An sint talis naturæ, vel conditionis, sæpe tenetur homo præferre certam probabili, & probabiliorem minus probabili; quandò scilicèt ex justitia, vel charitate tenetur vitare damnum vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel pèriculum ejus. Sumitur assertio ex D. Thoma in 4. distinct. 28. Paludano, Adriano, Victoria, Soto, Navarro, & aliis

innu-

innumeris. Et declaratur exemplis. Nam medicus ſine dubio tenetur præferre certam medicinam dubiæ: & ſic de aliis: Hinc enim maximè eſt verum dictum illud Auguſtini: *Tene certum, & dimitte incertum.* Ratio verò eſt, quia, ut ſupponitur, homo tenetur vitare illud damnum, vel procurare talem utilitatem, aut efficere validum Sacramentum, vel quid hujuſmodi: Ergò tenetur vitare periculum, quia hoc perindè eſt in moralibus. Atqui ſi omittit viam certam, aut ſecuriorem, non vitat periculum. Nam illud ſemper in re manet, quidquid ſit de probabilitate opinionis. Confirmatur ex differentia inter judicium de jure, ac judicium de re. Nam primum dicit ordinem ad operantem, & omninò tollit periculum malitiæ. Secundum verò dicit ordinem ad rem ipſam, & non tollit periculum detrimenti, quod eſt in ipſa re.

Quarè in priori eſt ſufficiens excuſatio, ſeu ratio ſequendi probabile judicium, quia nondùm eſt lex ſufficienter propoſita, & non expedit hominem cum tot obligationibus operari: hìc autèm nulla eſt ſufficiens excuſatio; cum ſatis conſtet, periculum in re ipſa manere, & conſequentèr inde obligationem oriri. Hìc verò occurrere poſſent variæ difficultates, pertinentes ad materiam de Sacramentis; quas Lector inveniet reſolutas apud Summiſtas, & in Decretis Summorum Pontificum, qui Theſes aliquot in hac materia damnarunt.

Ut tamèn facilìùs expediri omnia poſſint, intelligenda eſt prædicta concluſio, quandò nulla ſubeſt rationabilis cauſa ad omittendam viam certiorem, & minùs certam eligendam; ita ut utraque ſit moralitèr poſſibilis æque, & facilis. Nam ſi in altera parte, ſcilicèt certiori, occurrat ſpecialis difficultas, propter quam hìc, & nùnc non poteſt aliquis ea uti ſine in-

commodo, licitè interdùm poterit omitti, quia pro tunc non cenſetur moralitèr poſſibilis; & altera cum ſit probabilis, poterit tunc exiſtimari ſufficiens.

Dicendum ultimò. Interdum licet uti probabili opinione circa actum, omiſſa probabiliori, proptèr aliquam utilitatem, vel qua in re ipſa tutior eſt ad aliquem finem honeſtum. Hoc poteſt contingere in medico, ſi in deſperata neceſſitate utatur medicina probabilitèr utili, cum alia certò utilis non ſuppetit, etiamsì probabilius ſit fore inutilem, & certum ſit non fore noxiam. Ratio eſt, quia reſpectu conſcientiæ probabilis ſufficit ad certitudinem practicam: & aliòqui in re non creatur periculum detrimenti; ſed vitatur potiùs, & additur ſpecies utilitatis. Quocircà non immeritò aliqui dubitant, an hoc non ſolum liceat, ſed etiam ſit præceptum. Nam reverà præceptum eſſe aliquandò poteſt ex obligatione charitatis, vel alia ſimili, quandò ex una parte eſt gravis neceſſitas proximi, & aliundè nullum eſt incommodum, nec periculum ejus, quod ponderari poſſet. Si enim interdùm ita accidat, ut ex utraque parte ſubſit aliquod incommodum, vel periculum; prudenter comparanda ſunt, & illud eligendum, quod tutius videbitur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

R. P.

R. P. CONSTANTINI SWIĘCICKI O. M. OBSERVANTIUM THEOLOGI.

PARS SECUNDA DE JURE BELLI, ET PACIS IN SPECIE.

DISPUTATIO I.

De Bello, ejusque causis, ac de officiis, quæ indè nascuntur.

CAPUT PRIMUM.

De origine, Natura, licentia, & conditionibus Belli.

BEllum, sic dictum a duello, seù certamine inter duos, vel duas partes, potest cum Grotio sic definiri: *Est status per vim certantium, quà tales sunt*: status quidem, ut indicetur duratio: *per vim certantium*, ut excludantur forenses, aliæque contentiones: *quà tales sunt*; ut excludantur aliæ actiones ad Bellum non pertinentes.

Bel-

Bellum primò dividitur in juſtum & injuſtum, ſpectata cauſa. Secundò in ſolemne & minùs ſolemne, ſpectatis ritibus ſolemnitatis jure gentium requiſitis, inter quos denuntiatio, ſaltem in Bello offenſivo. Tertiò in offenſivum & defenſivum: illo hoſtem, ſivè juris vindicandi, ſive damni reparandi cauſa, invadimus; iſto invaſionem injuſtam, noſtra ſivè bona, ſivè jura defendendo, propulſamus. Bellum juſtum, tàm defenſivum, quàm offenſivum, qualicumque modo, & in ſe præciſè ſpectatum, originem habet a natura, & eſt humano generi coævum: Quia defenſio ſui, ſuorumque bonorum juſta, ut eſt medium neceſſarium ad propriam conſervationem contrà aggreſſorem iniquum, cuivis eſt a natura inſita. De Bello offenſivo ratio eſt, quia exigit natura, ne ſcelus maneat impunitum, & quivis ſe, ſuaque poſſit defendere, non ſolùm dùm actù fit invaſio, ſed *etiam*, ut poſt illatam injuriam, bonaque erepta, *poſſit ſua* recuperare. Hinc Tullius Libro tertio de officiis, *Natura*, inquit, *non patitur, ut aliorum ſpoliis, noſtras facultates, copias, opeſque augeamus*. Ergo Bellum ſpectatum in ſe, & ut eſt qualiſcumque tandèm vindicatio, originem habet a natura.

Utrumque Bellum, per ſe loquendo, eſt juris merè permiſſivi, ità ut naturæ jure ſit licitum, non tamen præceptum. Probatur de Bello defenſivo. Quamvis enim conſervatio ſui quoad ſubſtantiam ſit de jure naturæ præceptivo; cùm eum exigat amor ſibi debitus naturaliter, & ad felicitatem rationalis naturæ ſimpliciter neceſſarius, nihilominus conſervatio ſui quoad modum violentum, cum occiſione aggreſſoris injuſti, non exigitur abſolutè a natura. Nàm etiam ſine defenſione vitæ aut bonorum, ſalva manet felicitas eſſentialis quoad partem nobiliorem, ſeù animam;

mam : neque defenſio eſt ſemper poſſibilis : & ſine præcepto naturali ſufficit poteſtas defenſionis ad prævertenda incommoda, ne ſcilicet natura ſit expoſita hominum injuriis ac rapinis, cum inſigni jactùra generis humani. *Non modo juſtum, ſed & neceſſarium eſt, cum vi vis illata defenditur.*

Probatur de Bello offenſivo: Quia punitio ſceleris, vel vindicatio ſui, ac ſuorum bonorum, ſaltèm quòad modum violentum, non eſt determinatè requiſita ab amore ſui naturali. Nàm læſi Principes, quamvis ſupremi, non tenentur neceſſariò ad arma ruere, ſed poſſent aliud vindictæ genus excogitare ; vel, ut etiam contingit, in cauſæ arbitros compromittere. Accedit, quod ſine præcepto naturali ſufficiat poteſtas vindicationis, Naturæ Jure conceſſa genti in gentem, ità prorſùs, ut ſatis tollatur hominibus pravis anſa graſſandi in aliorum vitam, famam, corpus, & bona ; atque, hac ratione quies ſufficiens inter gentes ſperari poſſit. Secùs enim, *ſi unuſquiſque noſtrum*, ut rectè Cicero animadvertit in Miloniana, *rapiat ad ſe commoda aliorum, ſocietas hominum evertatur neceſſe eſt.* Quare Livius lib. 9 juſtum Bellum pronuntiat, quibus eſt neceſſarium, *quibuſque nulla, niſi in armis ſpes.* Concordat D. Iſidorus lib. 8. Etymologiarum cap. 1. ſcribens : *Juſtum eſt Bellum quòd ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium cauſà.*

Bellum publicum & ſolemne, ſpectatum præcipuè quòad formam, ſeù modum uſu receptum, ſivè ſit defenſivum, ſivè offenſivum, eſt juris dumtaxat Gentium.

Conſtat hæc propoſitio ex conditionibus Belli ; inter quas denuntiatio, armorum conditio ne veneno ſint illita, ne fontes vitientur ; quæ Jure Gentium inducta ſunt, ne cædes ultrà modum fiant ; partim

ex

ex effectibus Belli, exempli causa, jus redigendi captos in servitutem, jus direptionis, jus interficiendi quoscumque adversæ partis, etiam fœminas certis in circumstantiis: quæ in jus naturale, neque cadunt neque cadere possunt, ut infrà declarabitur.

Objiciunt aliqui: Bella non potuerunt initium sumere, antequam gentes multiplicarentur, ac rerum communio desineret, *meum denique ac tuum*, *frigidum illud verbum*, *innumeraque gignens bella*, ut ait Chrysostomus in oratione de S. Philogonio, invalescceret: Ergo bellum non est mundo coœvum.

Respondeo distinguendo consequens: Ergo bellum non est mundo coœvum, spectatum in se, seù spectato jure bellandi, suaque recuperandi, si alia via recuperari non possent; nego; Non est mundo coœvum, spectato actù bellandi; subdistinguo: & hoc defectu potentiæ, nego: defectu occasionis, quæ *multis* post annis exercitium suppeditavit, concedo. Bellum non est medium absolutè necessarium, sed ex suppositione: neque ad Jus Naturæ requiritur, ut singula ejus capita semper & statim redigantur in actùm, sed satis est, si certis in circumstantiis operationem suam exerceant; ut præ cæteris apparet in materia furti, quæ locum non habet, nisi supposita rerum divisione.

Objicit secundò Grotius: Bellum privatum antiquius est, quàm publicum. Ergò privatum est Juris Naturæ, publicum Juris Gentium.

Respondeo. Ante rerum divisionem vel homines, qui tùm vivebant, erant merè privati, hoc est, nulli familiæ adscripti, nulliusque potestati, etiam domesticæ, subjecti; vel erant in familias congregati: Ergò utrique quandocumque in corpore vel in bonis læderentur, se defendere poterant ac sua vindicare,

care, illi Bello privato, hi publico: Ergò neutrum bellum antiquiùs est. Quid enim vetat dicere, Bellum *publicum* familiarum contra familias, cum illarum regimen ad Jus Civile proximè accesserit?

Origo Belli injusti, est humano generi coœva, descenditque a corruptione naturæ lapsæ, a peccato, omnisque peccati auctore Diabolo.

Probatur ex D. Augustino, qui lib. 22. contrà Faustum hæc habet: *Quid culpatur in Bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & sic, quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis culpantur.*

Bella igitur cum mundo nato fuerunt: duobus fratribus angustus erat mundus, iniquo Caino videbatur Abel fore beatior. Secuta sunt Bella Gigantum, & discordes inter se populos Cataclysmus universalis, justo Dei judicio, perdidit. Post Cataclysmum regnavit Nembrodus in Campo Sennaar, oppressa Gentium libertate: cui successit Ninus, quem S. Augustinus lib. 4 de Civitate Dei, aliique Scriptores primum esse dicunt, qui Bello aliena regna invaserit, atque ità Assyriorum Imperio initium dederit. Per Bella subindè Medorum, Persarum, Macedonum, Romanorum potentia, crevit, & periit.

Si Horatio fides, pugnatum est initiò manibus, unguibus, dentibus: deindè fustibus, & lapidibus, demùm omni genere armorum. Horum inventionem Josephus Tubalcaino; Eusebius Moysi armorum varietatem? Plutarchus Archytæ Tarentino, & Eudoxo perfectionem tribuit. Plinius, Ægyptios inventores lanceæ dicit, Spartanos Machæræ & galeæ; Medam Myssenum thoracis & Asciæ, Epèum arietis

muralis; Vegetius fundam incolis Balearium, Diodorus arcus & Sagittas Apollini, alii Zetho, alii Perſeo tribuunt. Pulveris Pyrii inventionem alii Joanni Gutembergio Germano alii cuidam Bertholdo; tormentorum primum uſum Blondus, & Volaterranus Venetis anno 1380, alii aliis longè maturiùs adſcribunt. Adeò humanum ingenium ad hominum cædem exacuit, ut ait Virgilius Æneidos lib. 7.

Sævus amor ferri, & ſcelerata inſania belli.

Bellum ex natura ſua, Jure Naturæ, & Gentium, imo & divino veteri eſt licitum.

Probatur prima pars: Bellum ex natura ſua deſcendit a Jure Naturæ, fundaturque in legitima ſui defenſione, quæ ab inſtinctu naturali vim vi repellendi, & ſua recuperandi originem habet.

Probatur ſecunda pars. Bellum Juri Gentium eſt conforme, neceſſarium ad tuendam Rempublicam, repellendos hoſtes, reparanda damna, juſtitiam publicam conſervandam. Ergò eſt licitum Jure Gentium.

Probatur tertia pars. Contra Manichæos, qui reprehendebant Moyſem, Joſuè, Davidem, cæteroſque Teſtamenti veteris Patres, quod Bella geſſerint. Deus ipſe de modo gerendi Belli ſuum populum docuit, ſic, ut liber Deuteronomii, in quo artes Belli traduntur, vocari ſolet liber bellorum Domini. Sed quia Manichæi Teſtamentum vetus reſpuebant, ideo ex novo, quod libentèr admittunt, ſunt refellendi.

Dico igitur, bellum eſſe etiam licitum Jure novo Divino, ſeu Chriſtiano. Eſt contra Manichæos, Anabaptiſtas, Eraſmum Roterodamum, Cornelium Agrippam, & alios.

Pro-

Probatur. D Joannes Baptiſta, cum milites quidam eum conſulerent, *Quid faciemus & nos?* Lucæ cap. 3. *non juſſit eos*, ut D. Thomas, duce Auguſtino, interpretatur ſecunda ſecundæ quæſt. 40. *arma abjicere, militiæ ſe ſe ſubtrahere, ſed contentos eſſe ſtipendiis, neminemque percutere*. Item Chriſtus Centurioni dicenti Matthæi cap. 8 *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: vade, & vadit*; non mandavit, ut militiam deſereret, ſed potiùs fidem laudavit. Item Cornelii Centurionis Eleemoſynas remuneratus eſt dono Fidei; neque Petrus, cum eum faceret Chriſtianum, abjicere baltheum juſſit, Actorum cap. 10. Sic Chriſtus Matthæi cap 22. præcipit dari tributa Cæſari, quibus aluntur milites: *ideo enim tributa præſtatis*, inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 13. *Miniſtri enim ſunt in hoc ipſum ſervientes*, nimirum ut gladio puniant pacis publicæ hoſtes: id enim antea dixerat idem Apoſtolus: *Non ſine cauſa gladium portat: Dei enim Miniſter eſt vindex in iram.*

Confirmatur ex Patribus. S. Ambroſius Serm. 7. hæc habet: *Non militare delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt*. S. Aug. Epiſt ad Bonifacium 207. *Noli putare, neminem Deo placere poſſe, qui armis bellicis miniſtrat*. Similia vide apud Chryſoſtomum, Bernardum, Gregorium Magnum, Nazianzenum, & Turonenſem, qui citantur a Bellarmino libro 3. de laicis cap. 14.

Probatur etiam ratione. Licet Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem tueri gladio, contra homines improbos, qui ſunt hoſtes interni. Ergò licet eamdem Bello defendere contra hoſtes externos. Conſequentia patet, quia unum æque ac alterum eſt neceſſarium ad felicem ſtatum Reipublicæ; unum æque, ac alterum Naturæ Jure permiſſum. Si quis igitur ſerio omne

Bellum improbet, ego eum non hæreticum modo, ſed Reipublicæ proditorem eſſe judico. Nulla certe Reſpublica diu poteſt conſiſtere, niſi quæ militarem artem excolit. Cum enim magna cupiditate ad aliena rapienda ferantur homines; ubi obſtaculum non vident, eò ruunt Hinc Bellum juſtum, etiam offenſivum, non modo eſt licitum Chriſtianis, ſed aliquando etiam melius pacę, imo & gravitèr obligatorium, quando nimirum, oblata ſpe victoriæ, eſt abſolute neceſſarium pro ſalute temporali, exempli cauſa ſi ſubditi externo ab hoſte gravitèr vexarentur. Item pro ſalute Reipublicæ ſpirituali, hoc eſt Fidei Catholicæ conſervatione.

Confirmatur exemplis. Sæpè enim Bella juſte ſuſcepta adjuvat Deus, non adjuturus, ſi Bellum foret illicitum. Sic auxilio fuit bellum gerenti Conſtantino, ut narrat Euſebius in ejus vita, & lib. 9. Hiſtoriæ cap. 9. Theodoſio adjutores miſit Sanctos Joannem & Philippum, teſtè Theodoreto lib. 5. *Hiſtoriarum* cap. 24. Theodoſio juniori Angelos, ut habet Socrates lib. 7. cap. 18. Sic adjuvit per miracula Clodovæum Regem, ut ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſtoriæ Francorum cap. 30. Et Honorium Imperatorem, ut Auguſtinus teſtatur lib. 5. de Civitate Dei cap 23. Sic adſcriptos militiæ legimus Chriſtianos, vita moribuſque Santiſſimos, etiam ſub Principibus Ethnicis. Nota eſt legio fulminatrix ſub M. Aurelio, pluvia divinitus impetrata celebris. Denique nota ſunt bella Caroli Magni. Sancti Ludovici Regis Galliæ, & aliorum.

Objiciunt primò Hæretici. Pluribus in locis Evangelii bellum a Chriſto prohibetur. Nam Matt. cap. 5. Chriſtus ait: *ſi quis te percuſſerit in unam maxillam, præbe & alteram. Diligite inimicos veſtros.* Verſ. verò Syr. ſic: هي وهسا لكر للاعدر وهسا لحبا لكه اسبدا لسح

Et

Et Apoſtolus ad Rom. cap. 12. *Non vos defendentes chariſſimi ſcriptum eſt enim mihi vindicta &c.* Vulgata enim Syriaca ſic : ܠܝ ܢܩܡܬܐ ܐܢܐ ܐܫܠܡ ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܘܫܒܩ ܠܟ ܐܝܬ ܕܟ ܒܥܐ ܠܒܪ ܡܢ ܐܒܘܗܝ ܘܡܢ ܐܡܗ ܘܢܣܒ ܠܗ ܐܚܪܢܐ ܐܦ ܠܟ ܠܗ ܠܡܫܚܐ ܘܠܟ ܠܗ ܠܡܫܚܐ ܘܠܟ ܠܗ ܠܡܫܚܐ ܘ

illi, qui peccata commiserant in militia, vitio suo consuetudinem peccandi contraxerunt: quæ consuetudo tolli non poterat, nisi fuga Militiæ.

Objiciunt Tertiò. S. Joannes permisit Bellum Judæis dumtaxat ut imperfectis: Sed Christus aliter docuit. Deinde ea dixit militibus, non ut bene, sed ut minus male viverent. Sciebat igitur, sequentes militiam non posse bene vivere. Ita Erasmus Roterodamus, & eo teste Theophylactus.

Respondeo Joannes prius dixerat militibus: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Versio vero Syriaca sic: ܥܒܕܘ ܐܝܟ ܕܐܬܚܙܝ ܕܦܪܝ ܬܘܒܐ ; Inde milites pœnitentiâ compuncti petierunt, quis esset fructus bonus, quem facere deberent, vel ergo Joannes eos decepit, vel possunt milites salutem consequi, si serveni quod ille præcepit. Theophylactus vel male intelligitur ab Erasmo, ut Bellarminus monet, vel si contra nos est, nititur frustra contra torrentem.

Objiciunt Quarto ex Patribus. Tertullianus in Libro de corona militis hæc habet: *Licebitne in gladio conversari, Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? & prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet?* Origenes Lib 2 contra Celsum, ait, *Christum omnia Bella sustulisse*: S. Hieronymus ad Ageruchiam de Monogamia. *Olim bellatoribus dicebatur: accinge gladium tuum*; nunc Petro dicitur: *Converte gladium tuum in vaginam*. S. Ambrosius Lib. 10. in Lucam: *Domine, cur emere me gladium jubes, qui ferire me prohibes? ideo fortasse Petro duos gladios afferenti, satis est, dicis, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio*. S. Aug. in Psalm. 37. *Non orare debemus, ut moriantur inimici, sed ut corrigantur*.

Respondeo, SS. Patres affirmant, Bellum per se

au-

auctoritate publica, cauſaque legitima geſtum eſſe illicitum per accidens, ſeu reſpectu habito ad circumſtantias. Tertulliani rationes præcipuæ eſſe illicitum probant propter periculum idololatriæ: *Excubabit*, inquit, *pro templis, quibus renuntiavit*. Si plus dicit, nimium dicit. Origenes non ait Chriſtum prohibuiſſe, ſed ſuſtuliſſe Bella per pacem univerſalem tempore Nativitatis, ut ex contextu intelligitur. Hieronymus hoc tantum dicit, in lege veteri imperata fuiſſe Bella, ut neceſſaria ab ſubigendam terram promiſſionis, in nova non quidem eſſe prohibita, at non tamen imperata, ſed pacem potius inſinuatam conſilio, ut regnum Cœlorum facilius homines conſequantur. Ambroſius de Bello publico non differit, ſed de privata defenſione non adhibenda, idque per modum conſilii ad perfectionem virtutis acquirendam. Auguſtinus reprehendit odium inimicorum, non Bellum juſtum. Quod patet ex ea, quam citavimus, Epiſtola ad Bonifacium.

Objiciunt Quinto. Bellum opponitur paci, quæ eſt effectus caritatis: malum igitur eſt Bellum, cum ſuſcipiatur ad odium, & vindictam explendam: Deinde arma Chriſtianorum ſunt gladius Verbi Dei, ſcutum Fidei, ut ait Apoſt. ad Eph. cap. 6.

Reſpondeo. Bellum ita opponitur paci, ut etiam ſit pacis inſtrumentum. *Pacem* debet habere voluntas, Bellum neceſſitas, ut dicitur Canone *Noli* 23 quæſt. 1.

Ad ſecundum, Arma, quæ Apoſtolus ibi numerat, ſunt arma Belli ſpiritualis adverſus Dæmones. Unde non ſequitur, prohiberi Chriſtianis arma Belli corporei, ſi ſit neceſſarium.

Conditiones Belli ſunt. Prima, poteſtas ſumma: Primo quia Bella, ſpectato Jure Naturæ, nonniſi neceſſitate inducta ſunt, & eo conſilio permiſſa ab Au-

ctore

ctore naturæ, ut ii, qui judicem non habent, jus, & juſtitiam conſequi poſſint. Secundo quia qui Bellum infert, judicem agit in cauſa ſua, ſibi juſtitiam adminiſtrat injuriæ vindicativam; exponit Rempublicam magno periculo: atqui hæc omnia requirunt poteſtatem ſummam. Tertio quia Bellum illaturus alteri poteſtatis non ſummæ, ſed ſubordinatæ, tenetur prius experiri viam juris per diſceptationem pacificam: nam actor ſequitur forum rei. Forum autem ſubordinati eſt via juris: & ex Jure Naturæ, & Gentium abſtinendum eſt armis, agendumque jure, cum agi poteſt. Hinc eſt, quod in omni Superiorem agnoſcente Bellum injuſtum præſumatur, in Supremo juſtum, quia præſumitur, eum, qui habet poteſtatem ſupremam, viam juris expertum eſſe; aliud non item.

Secunda Conditio eſt cauſa juſta. Ratio eſt, quia Bellum eſt modus defenſionis ac vindicationis *graviſſimus*, ex quo ſequuntur mala quam plurima. *Hinc* requiritur cauſa gravis & certa reſpectu Principis. Nam alia eſt militum ratio, quibus ineſt parendi obligatio, niſi aliunde certo conſtaret de Belli injuſtitia.

Tertia Conditio eſt recta intentio. Ratio eſt, quia Bellum permiſſum non eſt, niſi ut neceſſarium medium ad recuperandam pacem, aut exercendam juſtitiam, injurias vindicando, aut amiſſa recuperando. Hinc oblata plena ſatisfactione, Bellum ceſſare debet (etiamſi cœptum fuerit) non modo titulo caritatis, eo quod Bellum ſit graviſſimum ſupplicium; ſed etiam titulo juſtitiæ, ſaltem probabilius, eo quod Bellum ſit *ſolius neceſſitatis*, adeoque ceſſante injuria, ceſſet etiam juſta cauſa.

Quarta Conditio eſt publica Belli denuntiatio: idque intelligitur de Bello offenſivo. Nam defenſivum, teſte Platone, a natura indicitur. Intelligitur etiam

regu-

regulariter. Non enim opus est denuntiatione apud hostem perpetuum, rebelles, proscriptos, præterito tempore induciarum, si periculum sit in mora, nulla spe, vel alia via suppetente. Hæc denuntiatio de jure est gentium, quia longævo Gentium usu inducta; sic, ut ea prætermissa, non bellum, sed latrocinium vocetur. Inde noti sunt varii ritus a variis gentibus observati, cum bellum hostibus denuntiarent.

Quinta Conditio est modus legitimus suscipiendi, gerendi, finiendi, belli. De primo constat ex dictis. De tertio dicetur, ubi de pace; Ad secundum quod attinet, requiritur ut arma sint legitima, veneno non infecta, ne fontes toxico misceantur: quæ conditiones fluunt ex jure Gentium, ne mala bellorum nimis augeantur; non vero ex jure naturæ, cujus parum interest, veneno, an gladio hostis tollatur, tolli juste si potest. Episcopi, Clerici, Monachi jure sacro vetantur, ne per se ipsos prælia ineant, repugnante Ecclesiastici status dignitate. Excipitur tamen extrema necessitas conservandæ vitæ propriæ, aut alterius innocentis, patriæ, & communis boni Ecclesiæ. Item possunt Episcopi ob temporale dominium, & vi jurisdictionis feudalis pugnare per alios, duces constituendo.

CAPUT II.

De justitia Belli ratione Religionis.

BEllum mere defensivum pro gloria Dei, seu ratione fidei ac veræ religionis est licitum: imo orthodoxos Principes obligat ex officio supremæ protectionis. Probatur prima pars. In Actibus enim Apostolorum legimus cap. 23. a D. Paulo, cum sibi a

Judæis ob religionem capitales fieri insidias intelligeret, per quemdam cognatum opem tribuni fuisse imploratam; atque adeo tribunum collaudatum fuisse, quod militari præsidio Paulum munierit.

Quod exemplum Episcopis omnibus Augustinus ita proponit imitandum, ut proditæ Ecclesiæ eos incuset, quicumque opem Magistratus invocare neglexerint. Refertur locus Augustini Canon. 2. Caus. 23. quæst. 3. Sic laudantur in Sacris Litteris Machabæi, quod Religionis causa contra Antiochum sævientem se se defenderint. Sic laudatur Constantinus Magnus, quod armata manu Licinium represserit: sic Armenii, quod sumptis armis Maximiani furorem fregerint, Christi fidem persequentis.

Probatur secunda pars. Principes ideo sunt constituti, ut eorum subditi vitam agant non modo tranquillam in omni honestate, sed etiam quietam *in omni* pietate, ut ait Paulus ad Timotheum cap. 2. Vocantur *nutritii* Ecclesiæ ab Isaia cap. 49. Advocati, & Protectores in Canone *Tibi Domino* Distinct. 63. ergo Bellum defensivum Ecclesiæ tenentur Princeps gerere.

Confirmatur. Imperatores Orientales, Ecclesiam destituentes in temporalibus, neque illam tuentes a Longobardicis injuriis & rapinis, amisere imperium, translata in Carolum Magnum Cæsarca Dignitate. Ergo a fortiori neglecti officii se reos facerent, si Ecclesiam destituerent in Spiritualibus, nec defenderent vivæ Ecclesiæ membra, ac Dei templa ab injuriis improborum.

Objiciunt Primò. Non est necesse, ut vera Religio armis defendatur. Nam satis potens est Deus, ut Religionem defendat: ejus enim agitur causa. Deinde Christi Regnum non est de hoc Mundo. Ergo armis non indiget.

Re-

Reſpondeo. Spectata Dei omnipotentia, qui poteſt conſilia inimicorum confundere, impetum frangere, non eſſet bellum neceſſarium. Sed quia Deus uti vult inſtrumentis naturalibus, idcirco Principes, qui Dei vices agunt in terris, tenentur bellum ab ejus Eccleſia propulſare.

Ad id, quod additur, dico, Regnum Chriſti non conſiſtere in Dominio temporali, quod ipſe gerat regia magnificentia; ſed conſiſtere tamen in congregatione Fidelium, quæ contra iniquos eſt armis tuenda.

Objiciunt Secundò. Non eſt permiſſum a Chriſto ut armis defendatur vera Religio: primò quia Chriſtus prohibuit ne ſuam cauſam Petrus gladio defenderet. *Mitte*, inquit Matthæi cap. 26. *Gladium tuum in vaginam: quicumque enim ſumpſerint gladium, gladio peribunt*. Secundò quia Diſcipulos ſuos fugere, non reſiſtere voluit, Matth cap. 10. Tertiò quia nec aliud ipſe fecit, Joan cap. 8 Quartò quia Apoſtoli & Martyres gaudebant pro Chriſti nomine contumeliam pati. Actorum cap. 5 Quintò quia teſte Lactantio lib. 6. Divinarum Inſtitutionum, *Chriſtianorum eſt non repugnare, ſed pati*; Et juxta illud Pſalmi 43. *tamquam oves occiſionis reputari*. Textus verò Hebr ſic: נֶחְשַׁבְנוּ כְּצֹאן טִבְחָה.

Reſpondeo. Vetuit Chriſtus cauſam ſuam defendere gladio auctoritate privata contra voluntatem ipſius Chriſti, non gladio ſumpto ex publica auctoritate pro Domo Dei.

Ad exempla adducta ex Sacris litteris dico, ibi patientiam commendatam fuiſſe, ſalvo jure defenſionis. Nam Chriſtus, Apoſtoli, Martyres in primitiva Eccleſia erant omnes privati, neque Magiſtratum ullum Chriſtianum habebant. Ergo mirum non eſt, quod perſecutoribus neque ſuam, neque Miniſtrorum, ne-

que Magiſtratus manuum opponerent. Ad ultimum reſpondeo, Chriſtianorum eſſe non repugnare modo illegitimo; ſed eoſdem poſſe repugnare modo legitimo, Juri Naturæ ac Gentium conſentaneo. Lex enim Evangelica non abrogat Politicen Chriſtianam; non judicia, non bella. Adde, quod armis defendentes Eccleſiam ſatis multa patiuntur propter juſtitiam.

Objiciunt Tertio. Inconſulte defenditur armis vera Religio. Sic Judæis adverſus Aſſyrios Ægypti opem implorantibus reſpondit Deus, *in Deo, non in humanis auxiliis eſſe confidendum*: Iſaiæ cap. 20. & Ezechiel. cap 29. Sic expectandum nobis eſſe a Deo auxilium Iſaias pronuntiat cap 30. *In ſilentio, ac ſpe erit fortitudo veſtra.* Textus verò Hebraicus ſic: בְּהַשְׁקֵט וּבְבִטְחָה תִּהְיֶה גְּבוּרַתְכֶם.

Reſpondeo. In Deo eſſe confidendum primario confidentia diſcreta, nec excludente humanam induſtriam, non vero Deum eſſe tentandum præfidentia indiſcreta ac temeraria. Judæi merito ſunt reprehenſi, *quia minus* in Deo, quàm in Ægypti auxiliis confidebant. Silentium, & ſpem non excludit, ſed complectitur maxime legitima defenſio Religionis.

CAPUT III.

Quid ſentiendum in ſpecie de cauſa juſta belli adverſus Infideles.

Dico primò Licere bellum defenſivum Religionis cauſa adverſus Infideles quoſcumque; imo & offenſivum, utrumque præcipue contra Turcas, & alios uſurpatores terrarum, quæ olim fuerant Chriſtianorum.

Probatur prima pars contra Lutherum. Licitum eſt bellum veræ Religionis defenſivum in genere; ergò

gò etiam in ſpecie contra Turcas Chriſtiani nominis juratos hoſtes.

Probatur ſecunda pars adverſus quoſdam Proteſtantes Lutheri aſſeclas. Turcæ nullo jure occuparunt Chriſtianorum terras ac regna, plura quotidie occupare moliuntur, iis maximas ærumnas intulerunt, Chriſtianos in ſervitutem, & ad Alcorani impietatem traducere conantes: Ergò, niſi obſtent ſpecialia pacta, bellum eſt illis inferendum.

Confirmatur ex eo, quod Summi Pontifices, Urbanus II. Paſchalis II. Eugenius III. aliique plures, item Generalia Concilia, Lateranenſe, Lugdunenſe, Viennenſe, & alia bellum ſæpe Turcis indixerint; quod S. Bernardus, aliique Sancti viri concionibus publicis excitarint Populos ad hujuſmodi bella, & Sermones miraculis confirmarint, ut ipſe tradit Bernardus; quod tot Imperatores, ac Principes bella ſacra ſuſceperint.

Objicit primo Lutherus. Bellum a Turcis illatum eſt virga; Turcæ ſunt Dei flagella, quibus Chriſtianorum caſtigantur ſcelera: atqui non licet repugnare flagellis Dei; Ergò nec Turcis.

Reſpondeo etiam in veteri Teſtamento Reges Gentiles erant Dei flagella: & tamen Judæis licuit eis reſiſtere. Nam ſuſcitatos a Deo legimus Othonielem, Gedeonem, Samſonem, ut contra ejuſmodi flagella populum defenderent. Imo etiam fames, peſtis, & morbi ſunt flagella Dei; & tamen licèt nobis ea propulſare.

Objiciunt ſecundò. Eccleſiæ utilior eſt perſecutio, quàm tranquillitas. Ergò potiùs orandum pro tribulatione, quàm pro pace.

Confirmatur. Deus per Jeremiam monuit Judæos, ut ſe ſubjicerent Nabuchodonoſori, neque reſiſterent, niſi

niſi gravioribus pœnis mulctari vellent, Jerem. cap 27. Ergò idem nobis faciendum eſt.

Reſpondeo, perſecutionem non ſemper eſſe utiliorem Eccleſiæ, ſed tantummodo ei prodeſſe, cum periculoſa non eſt, & Chriſtiana fortitudine exantlari poteſt: adeoque eſſe tolerandam inſtante neceſſitate. Hinc monet Chriſtus: *Orate, ne intretis in tentationem*: Et Apoſtolus ad Timothæum cap. 2. *Nos jubet orare pro Regibus, ut quietam, & tranquillam vitam agamus*. Verſ enim Syriaca ſic: حصلاهمل عصزت لاهول سلف هدحا ؛حصعزل هدحا.

Ad confirmationem dico, Deum non tantum monuiſſe Judæos, ut ſe ſubjicerent Regi Aſſyrio, ſed voluntatem ſuam ſignificaſſe, ut jugum admitterent in ſcelerum pœnam.

Itaque Regnum Judæorum in Aſſyrium tranſtulerat, ita ut illis non relinqueret Jus Bello legitimo reſiſtendi.

Objicit tertiò. Hermanus Coringius Proteſtantium Germanorum hujus ſæculi Princeps: Nullum ſupereſt Jus Chriſtianis in Turcas reſpectu Terræ Sanctæ, quam ab hinc annis plus quadringentis poſſident Turcæ. Ergò bellum ſaltem offenſivum in Turcas eſt illicitum. Probat antecedens primò, quia communis perſuaſio hujus juris, & auctoritas Romanæ Curiæ nihil probant: illa enim perſuaſio non nititur niſi arcanis decretis Romanæ Curiæ, cujus mens, & conſilium eſt dilatare Eccleſiaſticam poteſtatem; *cum manifeſtum ſit, quod abuſa fuerit hac improvida populi credulitate, Regibuſque morigeris, ut ſubduceret robur fortium virorum; nec non infinitam generoſi ſanguinis vim profundere allaborarit.*

Probatur ſecundò. Quia cum Chriſtiani Occidentales, Balduino Duce, expeditionem ſuſciperent, Turcæ

cæ jus in Terram Sanctam, multo jam tempore, quiete poſſidebant, & pactionibus initis cum Græcorum Imperatoribus poſſeſſionem confirmaverant.

Reſpondeo. Communem perſuaſionem (præſcindendo a ſpecialibus pactis) quoad juratum Chriſtiani nominis hoſtem niti Jure Naturæ, quo licet injuriam vindicare, & recuperare bona injuſte erepta, ut ſupra diximus. Habet etiam fundamentum in Jure Divino, quo vindicare licèt infidelitatem, cum ſumma Dei contumelia inductam: in Jure Gentium, quò licet hoſtis molimina præoccupare, ne ſemper nocere poſſit, cum ſemper velit: Nititur denique Jure humano poſitivo, quò licèt tot Criſtianorum myriades ex infami ſervitute eripere, & majora damna præcavere.

Adea quæ dicit de Curia Romana, reſpondeo eſſe ſomnia delirantis, vel odio in Pontificios amentis.

Ad ſecundùm Reſpondeo. Jus illud, Chriſtianis ejectis, fuiſſe ante uſurpatum a Turcis Sæculo ſeptimo, nec ullis umquam Imperatorum pactionibus confirmatum.

CAPUT IV.

De Bello cauſa Religionis contra Paganos.

DIco primò Religionis propagationem non eſſe cauſam legitimam inferendi Paganis Belli, quia Pagani ſunt. Dico ſecundò Paganos indirectè tantummodo adduci poſſe ad veram fidem. Ita docent D. Thomas, Molina, Suarezius, Sotus, Perezius contra Oſtienſem, Panormitanum, alioſque quorum tamèn rationes minime nos movent, ut infidelitatem ſolam inter Belli cauſas numeremus.

Pro-

Probatur prima pars. Ad Bellum legitime inferendum ratione delicti, & injuriæ requiritur juris dictio ordinaria vel extraordinaria. Sed neutrùm habent Christiani Principes in Paganos. Ergò non possunt inferre bellum Paganis, quia Pagani sunt. Major propositio fundamentum habet in Jure Naturæ & Gentium, quo bella reguntur: quod jus non destruit lex gratiæ, sed potius perficit. Minor est evidens de ordinaria jurisdictione: Extraordinariam Principes Christianos habere probari non potest testimonis apertis Sacræ Scripturæ. Consequentia sequitur; quia Christianis Principibus inferendi iis Belli, qui ad Ecclesiæ, aut eorum jurisdictionem non pertinent, alius titulus non suppetit, quàm quem ratio naturalis, & Jus Gentium dictat; quo jure, qui extra jurisdictionem existunt, legibus positivis subjecti non sunt. Quare S. Paulus in priore *ad Corinthios* Epistola cap 5. ait: *Quid mihi de iis, qui foris* (id est extra Ecclesiam) *sunt judicare?* Siquidem eos Deus judicabit. D. Thomas in 2. 2. quæst. 12. art. 2. diserte habet: *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in iis, qui numquam fidem susceperunt.*

Probatur secunda pars: Indirectè adducere ad veram fidem infideles est per Apostolicos viros Evangelium Christi prædicare, Fidem unice salutarem annuntiare, suadere, persuadere: sed viri Apostolici jus hujusmodi habent prædicandi Evangelium omni creaturæ; ergò jus habent adducendi indirectè, hoc est hortatu, non Imperio ad veram Fidem.

Ex his colligitur primò. Quòd dictum est de infidelitate, locum etiam habet in aliis sceleribus etiam naturæ legi repugnantibus; modo non cedant in nostram, vel alterius innocentis injuriam. Par enim ratio de infidelitate est, ac de fornicatione, ebrietate,

rapi-

rapina, ac cæteris. D. Thomas loco citato de infidelitate hæc habet: *Infidelitas ſecundum ſeipſam non repugnat dominio, eò quòd dominium introductum ſit de Jure Gentium, quod eſt jus humanum: Diſtinctio autem Fidelium & Infidelium eſt ſecundùm Jus Divinum, per quòd non tollitur jus humanum.* Quare ut Apoſtolus præcipit in Epiſtola ad Romanos cap. 13. etiam infidelibus obtemperandum. Quòd argumentum applicari poteſt aliis delictis, quibus ſcateat unum Regnum, proptèr quæ non eſt ei bellum inferendum ab externo Principe, niſi hujus ſtatui ea delicta noxia ſint. Quod ſi noxia ſint, licitum eſt denuntiare, ut Populi Regni finitimi a pactis abſtineant, quæ in innocentium injuriam cedunt. Quòd ſi ab illis deſiſtere noluerint, fas eſt movere contra ipſos ea de cauſa bellum, juxta illud Proverbiorum cap. 14. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.* Ergò naturali jure finitimus Princeps defendere poteſt innocentes ab injuria, quæ ab aliis infertur.

Colligitur ſecundò. Licere Chriſtianis Principibus bellum, ſi opus eſt, inferre infidelibus, quandò hi non permittant Evangelii prædicatoribus illud annuntiare. Hæc ſententia eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. 10. art. 8 Ratio eſt, quia injuria fit Chriſti Apoſtolis, & Eccleſiæ, ad quam repellendam, & vindicandam bellum licitum eſt, partìm Jure Naturali, quia juſta ex defenſio innocentium; partìm ſupernaturali, quia facultas prædicandi Evangelium a Deo eſt, juxta illud Marci cap. 16. 11. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Atque hoc titulo Hiſpani, ac Luſitani in novo orbe plures Provincias juſtè occuparunt.

Colligitur tertiò. In Evangelicæ prædicationis defenſione vitandos eſſe tres ſcopulos. Primò caven-

dum, ne hic prætextus ſit intempeſtivus, ſerviatque in deſtructionem potius, quàm ædificationem, ſi nempè Religionis defendendæ ſpecie legitimi Principes deturbentur, bona eorum, ac terræ in ditionem ſuam redigantur. Secundò ne comes deſit manſuetudo Chriſtiana. Vis enim facit ex infidelibus ſimulatores: non veros Dei cultores: Tertiò ne ſub hoc prætextu irrepant vitia ambitionis, & avaritiæ.

Objiciunt primò Oſtienſis, & alii: Infidelibus ob infidelitatem auferenda eſſe Regna, & in Chriſtianos transferenda prædixit Dominus, Matth. cap. 21. *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus. Ergò poteſt inſerri bellum.* Vulgata verò Syriaca ſic: ܘܢܬܬܝܗܒ ܠܥܡܐ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܕܡܠܟܘܬܐ.

Reſpondeo Prædixit Dominus, a ſe Regnum auferendum Judæis; non juſſit, ut Principes Chriſtiani Regno ſpoliarent omnes Ethnicos Reges.

Objiciunt ſecundo. Hæretici, Apoſtatæ poſſunt armis compelli ad veram fidem iterùm ſuſcipiendam, quàm deſeruerant, ut teſtantur S. Thomas, & Auguſtinus. Ergò etiam infideles poſſunt compelli ad veram fidem profitendam.

Reſpondeo diſparitatem peti ex juriſdictione, quàm habet Eccleſia in eos, qui deſerta Catholica Fide, hæreſim ſequuti ſunt: quam juriſdictionem non habet in eos, qui numquam fuerunt Chriſtiani; ſi Eccleſia non habet, multò minùs Principes habent.

De Judæis, ac Paganis ita decernunt Imperatores Honorius, ac Theodoſius lege Chriſtianis 6 capite de Paganis: *Quòd Judæis, ac Paganis quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum, legibuſque contrarium, manus inferre, Religionis auctoritate abuſi, non audeant.* Hinc Alexander II. Pont. Max. Bellum in eos infideles permittit, qui Chriſtianos perſequuntur, aut ex Urbibus,

pro-

propriiſque ſedibus expellunt. Ita habetur in capite : *Diſparitas* 2. cauſa 23. quæſt 8.

Quæres, quid ſentiendum de Bello adverſus ſubditos infidele? Reſpondeo primo *Subditos infideles, ut ſunt* Judæi, & Saraceni captivi Chriſtianorum, non poſſe vi & armis compelli ad veram Fidem profitendam : poſſe tamèn indirectè. Secundo ne indirectè quidèm poſſe, ſi obſtent pacta a Principe Chriſtiano cum ipſis inita.

Probatur prima pars. Si ſubditi infideles poſſent vi, & armis cogi directè ad veram Fidem profitendam, vel ad internam poſſent, vel ad externam. Neutrùm poteſt dici. Non ad internam; quia ut ait Lactantius, *nihil tam voluntarium, quàm Religio, quæ ſi coacta, hoc ipſo nulla eſt* : Et quia ut ajebat Maximilianus II. Imperator, non eſt major tyrannis, quàm velle conſcientiis dominari. Hinc illa Stephani Bathorii Poloniæ Regis invicti præclara ſententia, tria ſoli Deo eſſe reſervata; primùm ex nihilo aliquid facere; ſecundùm ſcire futura; tertiùm imperare voluntati. Sed neque cogi poſſunt ad profeſſionem veræ Fidei externam, quia obſtant clariſſima jura. De Judæis, Canone de Judæis 5. diſtinct. 45 decernitur ſic: *Nemini deinceps ad credendum vim inferri: cujus enim vult, miſeretur Deus, & quem vult, indurat.* Item Can *Sicut Judæi* 9. *Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptiſmum venire compellat. Rationem tradunt iidem Canones: Non enim inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut ſit integra forma juſtitiæ: ſicut enim propria arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratia Dei, propria mentis converſione, homo quiſque credendo ſalvatur*: Quocircà Rex Navarræ in Litteris ad Nobiles Aquitaniæ, *Non gladio*, inquit, *ſed perſuaſione, ac vi doctrinæ in cordibus hominum Religio plantatur, & honeſto vitæ exemplo confirmatur.*

Probatur ſecundo . Quia ſi infideles ſubditi directè cogi poſſent, vel poſſent per Principes Eccleſiaſticos, vel per ſæculares. Neutrum dici poteſt. Non per Eccleſiaſticos, quia Eccleſia nihil poteſt in eos, qui foris ſunt . Non per ſæculares, quia juriſdictio ſæcularis directè ordinatur ad finem dumtaxat naturalem, non verò ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. uti ſunt Fides, & Baptiſma ; vel ſi illi aliqua gaudent juriſdictione tamquàm cuſtodes legum divinarum, non tamèn poſſunt directè cogere ad Fidem amplectendam, ob hanc ipſam Canonici Juris prohibitionem.

Probatur ſecunda pars. Indirecta coactio nec juſtitiæ, nec alii virtuti repugnat. Ergò eſt medium licitum ad finem ſanctum, quia ab ipſo Chriſto commendatum in illis verbis Luc. cap. 14. *Compelle intrare.* Antecedens patet exemplis Cæſarum, Regum, & S. Gregorii Magni, qui varios modos licitos indirectè hujus compulſionis ſuppeditat lib 4. Epiſt. 4. nempè invitatione præmiorum, promiſſione privilegiorum, oblatione bonorum ac dignitatum, & ſi pertinaces ſint, exactione rigida tributorum, alias juſtorum.

Probatur tertia pars. Infidelibus quoque eſt ſervanda Fides. Accedit, quòd coactio ſi fiat per minas exilii, tributi inſoliti, & cætera media, eſſet directa, adeòque injuſta coactio ad Fidem profiteudam.

Hic eſt Notandum primò . Si prætèr infidelitatem alia cauſa concurreret, exempli cauſa, iniqua eorum conſpiratio in Chriſtianos, vel ſi alia ratione perniciem Reipublicæ procurarent, eos utique exilio multari poſſe.

Notandum ſecundò . Debere identidèm eorum ritus, negotiationes, modumque vivendi ita obſervari,

ut

ut ne quidquam moliri possint in Religionis Christianæ contemptum. Ratio est, quia aliàs nec Religioni, nec Reipublicæ sufficientèr cautum foret, ob infidelium, præsertim Judæorum inveteratam malitiam, & odium in Fidem Christianam.

Notandum tertiò. Etsi dominium Infidelium in Christianos non tollatur per libertatem Christianam, juxtà illud ex Epistola 1 Petri cap. 1 *Subjecti estote propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus &c.* Tamen est opus exceptione. Primò si Infideles Dominantes Christianis sint subjecti Principibus Christianis. Tunc enim privari possunt dominio in servos Christianos. Secundò si illud dominium esset malè & recens acquisitum in Christianos, expulsis dominis Christianis; nisi fortè per pacta se se subdiderint ipsi Fideles, gaudeantque propterea suis privilegiis. Tertiò si servi Infidelium paterentur periculum perversionis: tunc enim a tali dominio per Ecclesiasticam potestatem absolvi possent, Auctore D. Thoma 2. 2. quæst. 10 art. 109 ubi ait, *Ecclesiæ potestatem esse, Dei auctoritate sibi concessam, subditos Infidelium ad Fidem Christi conversos eorum jurisdictione eximere, si ita ad Dei honorem conveniens, aut necessarium esse videatur.*

Notandum Quartò. Quamquam Infideles lege Divina, & naturali teneantur suscipere Fidem Christianam sufficientèr propositam; tamèn Principes non posse cogere Infideles non subditos, idque ex defectu jurisdictionis. Nam sicut hujus defectu Rex Poloniæ nequit vindicare delicta Hungarorum, qualiacumque in Hungaria degentium, nec eos adigere ad observantiam legis divinæ; ita a pari.

Notandum Quintò. Canones nonnullos, qui videntur permittere coactionem hujusmodi impositione onerum, confiscatione bonorum, exilio, aliisque pœnis

hæ-

hæreticorum propriis, esse exponendos de coactione indirecta, sic ut illa onera aliundè debita, & pœnæ ob alia delicta infligendæ intelligantur. Ratio hujus expositionis desumitur ex aliis canonibus, qui perspicuè contrarium statuunt.

Notandum sextò. Varia exempla Regum, ut Sisebuthi Gothorum Regis, qui Judæos in Hispania Baptismum recusantes turpitèr decalvari, flagellis cædi, & eorum bonis fisco addictis exilio multari jussit; & Ferdinandi Catholici, qui Judæos, & Saracenos Baptizari renuentes, ex omni Hispania exterminavit; ejusmodi, inquam, exempla intelligenda esse vel de relapsu in infidelitatem (quod scelus est maximum) vel de aliis criminibus cum infidelitate conjunctis.

Nam primò casu licita est etiam directa coactio: qui enim semèl Fidem Catholicam sunt professi, in casu relapsus, vel directè cogi, vel ob perfidiam exilio puniri possunt, ut habet Canon *de Judæis* 5. dist. 45. *Oportet, ut fidem, quam etiam vi vel necessitate coacti susceperunt, tenere cogantur*: atque hoc a fortiori intelligendum de illis, qui ut Christiani nati, & educati rursùs ad Judaismum, infidelitatem, vel etiam hæresim apostatarunt. Quo ad casum secundum patet ex dictis in primò notando.

C A-

CAPUT V.

De Justitia Belli contra Subditos hæreticos causa Religionis.

PRimò Hæretici subditi vi & armis domari possun, & ad Fidem Catholicam, quam deseruerant, directè compelli: estque hæc sententia Sanctorum Patrum, Doctorum, Politicorum. Secundò Non raro est obligatio reprimendi ejusmodi Novatores, maximè hæresiarchas. Tertiò etiam non subditi in aliquo casu debellari possunt. Quartò meliora remedia sunt aliquandò magis opportuna.

Probatur prima pars. Auctoritate D. Thomæ, qui 2. 2. q. 10. art 8. hæc habet: *Alii verò sunt infideles, qui quandoque Fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici, & quicumque Apostate; & tales sunt etiam corporalitèr compellendi, ut impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt.*

Probatur secunda pars. Quia Princeps est Protector Ecclesiæ in suo dominio, adeòque non debet pati subditorum perversionem, quæ imminet ab hæresiarchis; Ergò illos Bello perfequi debet.

Probatur & declaratur tertia pars duplici casu. Si Rex vel subditi unius Regni deficerent a Fide Catholica, & conarentur subditos vicini Regni in eamdem defectionem pertrahere, posset vicinus Rex etiam bello se, suosque defendere, & injuriam ulcisci. Si in Regno quopiam multi essent hæretici Ecclesiæ pacem turbantes, Pontifex Maximus tamquàm universalis omnium Pastor, posset committere, ut sæpè commisit alicui Principi, ut illos etiam armis comprimeret. Primus casus nititur jure defensionis legitimæ: alter

legi-

legitimo titulo jurisdictionis Pontificiæ in omnes Christi Fideles, qui per Baptismum, tamquàm januam, semèl ingressi sunt Ecclesiam, quamquàm hæretici sint, ac rebelles Ecclesiæ matri, quæ eos peperit Christo: sicut subditi in politicis non cessant esse subditi per hoc, quòd sint rebelles, adeòque per se, vel per alios a legitimo Principe debellari, & ad obedientiam reduci possunt. Sic legimus a Gregorio Magno Africæ Exarchum incitatum fuisse, ut Donatistas bello comprimeret.

Probatur quarta pars ex regulis prudentiæ, quæ dictant, non exponendos extremis periculis subversionis fideles subditos: quæ subversio timeatur ex parte hæreticorum, qui si bello vincerent, omnia ad arbitrium miscere possent.

Objiciunt Primò Acatholici: Hæresis non est justa belli causa: non sunt igitur armis puniendi *hæretici*. Antecedens probatur: vel enim spectatur hæresis ut peccatum simplicitèr, vel ut peccatum turbans pacem Ecclesiæ, vel etiam Reipublicæ. Si spectatur, ut peccatum simplicitèr, puniri potest ab Ecclesiastico tantùm foro, pœna spirituali, non a Magistratu pœna corporali, seu bello: si spectatur, ut turbans pacem Reipublicæ, est justa quidèm belli causa: sed non contingit, ut hæresis pacem turbet politicam.

Respondeo. Si hæresis turbet Ecclesiæ pacem, nec pœnæ spirituales quidquam proficiant, advocato in auxilium brachio Sæculari, est coercenda. Deindè quis neget, utramque pacem ab hæresi interturbari? Ecclesiasticam quidèm immediatè, politicam mediatè? Ratio est primò quia turbata pace Ecclesiæ, pax Reipublicæ nequit consistere. Quippè animorum dissidium consequi solet Regni divisio. Idque constat experientia tot Sæculorum. Turbas, & bella in oriente excita-

taruntAriani, in Græcia Macedoniani, in Africa Donatiſtæ, in Imperio Romano Iconomachi, & Albigenſes, in Bohæmia Huſſitæ, in Gallia Hugonoti, in Germania Anabaptiſtæ & Zwingliani, vix ulla umquàm familia fuit, in qua Religionis diſſenſus contentiones & rixas exitiales non pepererit.

Ratio eſt ſecundò ipſa natura hæreſeos. Ubi enim eſt hæreſis, ibi eſt ſuperbia, atque diſcordia. Si enim hæretici in Sacramentorum adminiſtratione a Catholicis diſſident; ſi templa eorum & monaſteria evertunt; ſi Epiſcopis & Clero illudunt; ſi ritus ac cæremonias contemnunt, ſi ſacrificia, jejunia, dies feſtos execrantur, non diu certè intèr hos & illos pax & concordia durare poteſt.

Objiciunt ſecundò. Bellum non eſt legitimus modus, vel reparandæ Religionis, vel propagandæ. Nàm Bello vis infertur: Vis autèm in Religione locum non habet. Ut enim ait Lactantius lib. 5. Divinarum inſtitutionum cap. 20. *Religio eſt verbis, non verberibus conſtituenda*. Et cap. 14. *Quis mihi*, inquit, *imponat neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel non credendi quod velim*.

Reſpondeo Neminem cogi poſſe directè coactione interna, ut Religionem ſuſcipiat, *cum Superior non poſſit conſcientiam inferioris mutare, & animo vim inferre*, ut ait Baldus lib. 2. in fine cap. de ſentent. e Breviculo Menochii. Nulla quippè vis externa faciet, ut velis quæ nolis, ſentias quæ non ſentis. Rurſus nemo hæreticus poteſt cogi directè coactione externa a Principe ſuo, abſque ultima neceſſitate, ſi media molliora & indirecta ſufficiant.

Hæc omnia Lactantius, aliique Patres inſinuant. At Politici quidam trahunt Patrum ſententias ad vagam & illimitatam licentiam Religionis, etiam quòad

hæreticos, Apoſtatas ſubditos, & Eccleſiæ rebelles; quæ doctrina, ut omni juri repugnat, ita eſt politico ſtatui pernicioſa, ut pleræque Reſpublicæ ſunt expertæ. Verumtamèn *legum terror*, ut ait S. Auguſt. a D. Thoma cit. in 2. 2 quæſt. 10. art 8. *Ita profuit, ut multi dicant gratias Domino, qui vincula noſtra diſrupit. De reliquo, ſicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis; ita accipere Fidem eſt voluntatis, ſed tenere acceptam eſt neceſſitatis. Et ideò hæretici ſunt compellendi, ut Fidem teneant.* Dicit enim Auguſtinus ad Bonifacium Comitem. *Ubi eſt, quod iſti clamare conſueverunt, liberum eſſe credere vel non credere, cui vim intullit? Agnoſcant in Paulo priùs cogentem Chriſtum, & poſtea docentem.*

CAPUT VI.

De juſtitia ac injuſtitia Belli ratione regionis.

DIvus Auguſtinus, relatus in cap. *Dominus*, cauſa 23. quæſt. 2. *Juſta*, inquit, *bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias.* Et lib. 4. de Civitate Dei cap. 15. *Iniquitas partis adverſæ juſta bella ingerit.* Juſtæ igitur Belli cauſæ ſunt in duplici claſſe. Ad primam ſpectat defenſio ſui, ſuorum, regionis, Reipublicæ: ad alterum vindicatio ſui, ſuorum, regionis, Reipublicæ. Illa facit retinere ſua, hæc ſua recuperare: illa præſentem, hæc præteritam propulſat injuriam.

Reſpectu juſtæ defenſionis legitima Belli cauſa eſt rebellio a ſubditis tentata, Fidem, obſequium, & juſta tributa denegantibus; protectio rebellium; hoſtilis irruptio; facta hoſti opitulatio; injuſta fœderatorum invaſio; æquitatis naturalis injurioſa denegatio.

Re-

Reſpectu juſtæ vindicationis legitima Belli cauſa eſt recuperatio dominii ac jurium, quæ injuſtè erepta ſint; reparatio famæ ob irrogatam publicè injuriam, vindicatio Innocentium ab hoſtili captivitate & injuria; ultio ab denegatam juſtitiam; juſſio denique Dei. Nam S. Auguſt. citatus in dicto Canone *Dominus* 23. ait: *etiam hoc genus belli ſine dubitatione licitum eſt, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & novit quid cuique fieri debeat.*

Injuſtitia cauſarum reſpectu Belli deſumi poteſt in genere ex cauſis juſtis. *Rectum enim obliqui eſt index*, ut habet Grotius lib. 2. cap. 22. Quarè ſicut juſta cauſa in genere eſt gravis injuria, quam ſine periculo Reipublicæ vindicare eſt licitum; ita injuſta eſt Belli cauſa, cum levis interceſſit injuria, pro qua poteſt aliundè ſatisfieri, & quam ſi bello reparare velimus, magnam toti Reipublicæ perniciem parabimus.

Injuſtitia belli in ſpecie revocatur ad geminum titulum. Primus eſt *jus in armis*; alter *ratio ſtatus*. In priori eſt dominandi libido, ambitio, dilatandi Regni cupiditas. Ita Romani ſola Imperii amplificandi cupiditate Bella ſibi licere exiſtimarunt: Rurſùs vindictæ cupiditas; libertatis inconſultus amor; denegatio matrimonii, jus imperfectum, quod non inducit obligationem juſtitiæ, ſaltèm rigoroſæ, ſed minus ſtrictæ, in æquitate naturali fundatæ. Ad rationem ſtatus, cujus eſt ſola utilitas fundamentum, pertinet primò metus vicinæ potentiæ. Ratio eſt, quia quivis, quoad juſtè parta, eſt in legitima poſſeſſione. Secundò ſervandum æquilibrium, ut appellant, dominantium; cujus æquilibrii procurandi cauſa eſt paritèr metus. Tertiò titulus acquirendi dominii in Jure Naturæ vel Gentium non fundatus, exempli cauſa fertilioris ſoli

cupiditas, detectio novæ insulæ seu regionis jam habitæ. Quartò titulus coloratus per varios prætextus.

Ad metum, quòd attinet vicinæ potentiæ, notandum est, eum esse Belli causam injustam nisi certò constet, Principem, qui vult bellum inferre, a vicino potentiore invadendum, post datam apertè de non invadendo cautionem. Ita Theologi & Jurisperiti, ipso Grotio assentiente, qui lib. 2. cap. 22. ait. *Ut justa sit defensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet non tantùm de potentia, sed & de animo lædendi; & quidèm ita constet, ut certum id sit ea certitudine, quæ in materia morali locum habet.* Ratio est, quia adversus incertos metus, a Divina providentia & a cautione innoxia, non a vi præsidium petendum est. Si Princeps timet, socios paret ac se præmuniat.

Ex dictis colligo, bellum ex utraque parte non posse esse justum materialtèr, seu consideratum quòad rem ipsam, de qua bellatur; posse tamèn esse utrinque justum formalitèr, seu spectatum quòad opinionem & animum bellantis. Ratio prioris est; quia res eadem non potest esse æqualitèr utriusque, nisi admittatur duorum dominium in solidum. Ratio posterioris potest esse ignorantia invincibilis in utroque, aut in alterutro; ex qua fit, ut hostium uterque possit esse in bona Fide, credendo pro se stare justitiam. Actio autèm justa formalitèr, seu quoàd operantem, pendet ex ejus Fide, conscientia, & rationis dictamine. Utrinque justum fuisse bellum Israelitarum & Chananæorum censet Abulensis: respectu illorum & materialitèr & formalitèr ob jussionem Divinam; respectu istorum fuit justum formalitèr ob invincibilem ignorantiam hujus Divinæ jussionis; nisi fortè vincibilis fuit adeòque culpabilis, propter illa prodigia, quæ videbant a Deo fieri in gratiam populi sui.

Ob-

Objiciunt primò Politici quidam. Juſtum eſt Bellum ob injuriam prævisam, ſed nondùm illatam. Nam nemo tenetur primum ictum expectare ſedendo, ne in privata quidèm defenſione: ut enim ait Poeta neſcio quis.

Dimidium amiſit, qui primum expectat ad ictum.

Reſpondeo, injuriam certò prævisam ex denegata ſecuritatis cautione, eſſe juſtam bellandi cauſam; non tamèn prævisam ex incertis indiciis, vel formidatam ex potentia creſcente.

Objiciunt ſecundo e converſo alii, non poſſe Bello ultionem ſumi de illata injuria. Ultio eſt pœna; pœna requirit poteſtatem Superioris: Inter æquales Belligerantes non eſt poteſtas Superioris: Ergò nec ultio, ſeu bellum pœnale.

Reſpondeo nego in neutro Belligerantium eſſe poteſtatem Superioris. Qui enim prior injuriam accepit, factus eſt æquali ſuperior, niſi hoſtis uterque ſupremum Principem habeat, apud quem poſſit de accepta injuria hoſtem æqualem convenire. Quare hujuſmodi bellum, ad reparandam injuriam introductum, eſt loco juſti Judicii vindicativi.

Objiciunt tertiò. Si quis Princeps gemino Principi, mutuis Bellis implicito, ſit fœderatus, vi tali fœderis neutri poteſt ſuppetias ferre tuta conſcientia. Ergò fœdus non ſemper eſt juſta Belli cauſa.

Antecedens patet. Utrique enim pari jure obligatus, ſi alterutrum defenderet, in alterutrum eſſet fœdifragus.

Reſpondeo. Poſſet is Princeps in eo caſu adjuvare illum ex fœderatis, pro quo ſtare juſtam cauſam videret. Nam juſtitia unius excludit alterius fœderis

tur-

turpitudinem. Secundo posset ei succurrere, cum quo fœdus inivit priori tempore in Bello utrinque formaliter juſto: Nam prior tempore, potior jure, ut ajunt Jureconſulti. Tertiò posset anteferre pacta ſpecialiora ſimplicibus; quia ſpecies derogat generi.

Objiciunt quartò. Ad bellum ſociale requiritur jus, quod reſultat vel ab illata injuria, vel a voluntate ſocii auxilia petentis. Sed in bello, quod Abraham pro ultione Lothi ſuſcepit, neutrum eorum reperitur. Minor patet. Major videtur colligi ex dictis. Nam injuria alteri facta non tribuit cuivis homini jus ultionis, nec facit lædentem ſubditum alteri, niſi læſo; alioquì dicendum eſſet, quemvis habere jus vindicandi injurias totius orbis.

Reſpondeo. Non ſolùm qui læſus eſt, ſed etiam ejus amicus afficitur injuria, quia fictione juris & caritatis tranſit in perſonam amati, & injuria *eum*dem oneraret, niſi ſuccurreret injuſtè læſo; Hinc nego minorem, quòad ſecundam partem. Nam Lothi voluntas innixa fœderi dabat ei jus ad auxilia petenda ab Abramo in caſu, quo injuſtè opprimeretur. Neque ſequitur, hominem quemvis habere jus vindicandi quaſvis injurias; quia hoc confunderet ordinem & juriſdictionum diſtinctionem. Etiam in cauſa privati qui injuſtè eſt læſus, defenſio eſt licita: ergò a fortiori in cauſa publica, ubi agitur plurium innocentium periculum. Hanc conjunctionem ipſa natura inter morales conſtituit. Hinc rectè laudantur Reges Pipinus & Carolus Magnus, qui ubi viderunt Italiam, ſummoſque Pontifices injuſtè preſſos ac ſpoliatos, ingenti exercitu comparato tyrannos domuerunt & pacem Italiæ reſtituerunt.

Reponunt primò. Amicitiæ fœdus, vel caritatis Chriſtianæ titulus non eſt cauſa ſufficiens; Ergò nec juſta.

ſta. Antecedens probatur. Hoc fœdus, & hic titulus æqualitèr utrìmque ligat. Ergò dum concedit ut auxilier Titio, non concedit ut offendam Sempronium. Conſequentia ſequitur. Nam cognatio, quam natura inter homines conſtituit, non patitur, ut cum tertii detrimento alteri opituler.

Reſpondeo. Nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens; æqualitèr ligat, quamdiù manet utrobiquè amicitia, Concedo; ſi rupta ſit injuſta amici offenſione & caritatis læſione, Nego. Hæc ipſa eſt ratio, cur magis tenear innocenti amico, quàm nocenti auxiliari, ut eſt manifeſtum in defenſione privata.

Reponunt ſecundo. Si vera ſunt quæ dicuntur, ſequitur, non modò licere ejuſmodi bellum, ſed etiam Principem in conſcientia teneri ad id gerendum, ſaltèm ex lege caritatis. Hoc autem nimium videtur eſſe, nec requiri a Natura. Major eſt conſentanea Sacris Litteris amorem proximi præcipientibus; eſt conſentanea Sacris Canonibus: nam Canone *Non inferenda*, cauſa 23. quæſt. 3. hæc leguntur: *Qui non repellit injuriam a ſocio, tàm eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Quam ſententiam Seneca, quantumvis Ethnicus, his verbis complexus eſt: *Si juſtus es, non ſolùm non nocebis, ſed etiam nocentes probibebis: nam nihil nocere non eſt juſtitia, ſed alieni tantùm abſtinentia.*

Reſpondeo. Majorem eſſe veram, ſecluſo periculo proprio, & ſalva caritate ordinata, quæ primariò tendit in ſeipſum, hoc eſt in perſonam, quæ illam exercet. Nihil ampliùs præcipiunt Sacræ Litteræ, & Canones. Nam Canon. 8. cauſ. 23. quæſt. 3. *Qui poteſt ita obviare, & perturbare perverſos, & non facit, nihil eſt aliud, quàm favere impietati eorum.* Accedit etiam Seneca: *Succurram perituro, ſed ut ipſe non peream.*

CA-

CAPUT VII.

An negatus transitus militaris sit justa Belli causa.

DIco, negatum transitum militarem, quantumvis amicum, non esse justam bellandi causam regularitèr loquendo. Nam ejusmodi transitus est fere semper nimis onerosus, nisi fiat cautionibus adhibitis, quæ sint observatu faciles: Alia est ratio de transitu advenarum, hospitum, mercatorum, peregrinantium, sedes itèm vacuas quærentium ex justis causis, remoto omni periculo.

Objiciunt aliqui primo. Ejusmodi transitus denegatus ab Amorrhæis Regulis fuit Moysi & ejus populo causa justi belli. Ergò potest esse hujus temporis Regibus ac Principibus justa causa.

Respondeo. Ille transitus Moysi denegatus, ut aliqui putant, fuit tantummodò occasio belli aliunde justi, cum esset susceptum adversus Reges in dispersionem jam traditos ab omnium Domino, & detentores iniquos illius terræ, quam Dominus Moysi & ejus populo destinaverat. Verius est, transitum Moysis futurum fuisse innoxium; sed quia hostilitèr negatus fuit, idcircò bello quæsitus est. Ait enim Scriptura Numerorum capit. 20. *Egressus est obvius* (Rex *Edom*) *cum infinita multitudine & manu forti, nec voluit acquiescere Moysi deprecanti, ut concederet transitum.* Vulgata verò Hebr. sic: וַיֵּצֵא אֲדוֹם לִקְרָאתוֹ בְּעַם כָּבֵד וּבְיָד חֲזָקָה וַיְמָאֵן אֱדוֹם נְתוֹן אֶת יִשְׂרָאֵל עָבוֹר בִּגְבוּלוֹ. Et capit. 21. *Qui* (Rex *Edom*) *concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos: quin potiùs exercitu congregato egressus est obviam in Desertum, & pugnavit contra eum.* וְלֹא נָתַן סִיחוֹן אֶת יִשְׂרָאֵל עָבוֹר בִּגְבוּלוֹ וַיֶּאֱסֹף סִיחוֹן אֶת כָּל עַמּוֹ וַיֵּצֵא לִקְרַאת יִשְׂרָאֵל הַמִּדְבָּרָה וַיָּבֹא יָהְצָה וַיִּלָּחֶם בְּיִשְׂרָאֵל.

Re-

Reponunt primò. Amicus transitus, quomodocunque negatus, est injustè negatus? Est enim contra jus naturæ, saltèm imperfectum; imo & contra jus Gentium, quo distincta Dominia in Orbe terræ fuerunt ex æquitate, atque adeò cum reservatione communis utilitatis in concedendo cuivis innoxio transitu, qui, ut ait S. Augustinus, relatus in Canone *Notandum* 23. *jure humanæ societatis æquissimo patere debet dictante natura, quod uni non nocet, & alteri prodest, haud esse denegandum.*

Respondeo. Ad Jus Naturæ, & Gentium vix posse reduci id, quod est Rebus publicis nimis onerosum, imo etiam periculosum. S. Augustinus de transitu loquitur, quem innoxium Israelitæ petebant, & Amorrhæi malè negaverunt. Nàm illi ut peregrini transire volebant ad occupandas sedes trans Jordanem, donatione Divina propriè suas, Amorrhæorum amici deinceps futuri: hi æqua negarunt, & æqua petentes opprimere tentaverunt, atque adeò illorum arma per accidens provocarunt.

Reponunt secundò. Si quid juri Societatis humanæ de transitu permittendo repugnaret, esset periculi metus. Nam (ut alias diximus), timor non sufficit; neque unius timore jus alterius legitimè tollitur.

Respondeo primò instando, an, si Turca peteret innoxium transitum per Hungariam, & Poloniam a Cœsare, & a Rege Poloniæ ad oppugnandas Moschorum terras, hi Politici dicerent a Turca jus peti, quod nec prætextu Religionis negari possit?

Respondeo secundo. Experientia constare, quot periculis ejusmodi transitus, quantumvis amici, & innoxii dicantur futuri, obnoxii sint. Sæpe in illis contingit, quod legimus judicum cap. 18. *Videmus terram opulentam, & uberem; nolite negligere, nolite cessare: eamus, & possideamus eam: nullus erit labor &c.* Vulgata verò

Hebraica ſic : יָרִישׁ אֶת הָאָרֶץ וְהִנֵּה טוֹבָה מְאֹד מַחְשִׁים אַל תֵּעָצְלוּ לָלֶכֶת לָבֹא לָרֶשֶׁת אֶת הָאָרֶץ : ſæpe erinacei tabula renovata armati hoſpites , vel in ſubſidium vocati , vel amicitiæ nomine intra fines admiſſi , ſensìm domeſticos expulerunt ; ſæpe regio , quam tranſit amicus miles , fit belli theatrum , vel hoſte alterutro petente tranſitum, vel altero , ne alteri detur , efflagitante .

Dixi initio Capitis , tum fore juſtam bellandi cauſa negationem tranſitus militaris , cum proponuntur cautiones , quæ ſint faciles obſervatu . Sed vix contingit , ut obſerventur , adeòque rarò contingit , ut ob tranſitus negationem juſtè bellum inferatur . Prima cautio eſt de tranſitu inermi milite . Sed hæc eſt cautio merè ſpeculativa , & in praxi eſt probroſa militibus , *quaſi manibus abſciſſis* , ut de militibus Numantinis loquitur Florus lib. 2. Secunda eſt de concedendis præſidiis . Sed hæc nimiùm eſt ſumptuoſa . Tertia de damnis præcavendis . Sed hæc vix eſt poſſibilis practice ob defectum diſciplinæ , Ducum , & Miniſtrorum incuriam , vel avaritiam . Hoc enim tempore id fere accidit , quod ſua ætate uſu veniſſe Plinius narrat in Panegyrico . *Quam diſſimilis nuper alterius Principis tranſitus , ſi tamen tranſitus ille , non populatio fuit , cum abjectus hoſpitum exerceret , omniaque dextera , lævaque perſta & attrita relinqueret , ac ſi eadem via vel illi ipſi barbari , quos fugiebat , incederent .* Cautione igitùr utantur illi , qui alitèr non poſſunt ; at cui ad negandum vires ſunt , memorem velim , nullo jure quemquam cogi , qui liber ſit , ut invitus Dominum accipiat , aut ubi ſit Dominus , parem . Qui enim armatum intra fines recipit , eum vel Dominum accipit , vel parem .

Reponunt ſecundo . In caſu neceſſitatis jus primævum communionis reviviſcit , quo licet uti alienis rebus , ac ſi manſiſſent communes . Ergò ſi neceſſitas ur-

urget, ut hostis hostem repellat, nec possit id facere, nisi transeat per fines meos, debeo transitum ipsi concedere; quem si negem, juste ille in me poterit arma vertere. Antecedens patet primo ratione. Nam necessitas in omnibus legibus positivis excepta est, utpotè quæ legem non habet, sed ipsa legem facit. Secundo patet exemplis. Nam possum diruere vicinas ædes, in quibus incendium est ortum ad arcendum mearum certum periculum; idque jure non solum positivo, sed etiam naturali.

Respondeo. In aliquo casu necessitatis extremæ, & hoc ipso extraordinariè dandus est transitus, salva tamen regionis indemnitate per adhibitas cautelas innoxii transitus.

Ex dictis colligo, negatum transitum militarem non esse belli causam legitimam, si alia suppetat via transeundi, quantumvis perincommoda. Cujus rei exemplum habemus in Sacris litteris loco citato Numerorum, ubi licet Rex Edom Israelitis negarit transitum, quem petebant innoxium, Moses tamen non armis eum vindicavit; sed eo jubente, Israelitæ defle-xerunt, & a Cade profecti ad montem Hor pervenerunt cum copiis omnibus. Verba Scripturæ habes loco citato: *Quam ob rèm divertit ab eo Israel, cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor.* Vulgata verò Hebr. sic: וַיַּ֤ט יִשְׂרָאֵל֙ מֵעָלָ֔יו וַיִּסְע֖וּ מִקָּדֵ֑שׁ וַיָּבֹ֣אוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵ֗ל כָּל־הָעֵדָה֙ הֹ֣ר הָהָֽר׃

Objiciunt secundo cum Grotio lib. 2. cap. 2. Saltem transvectio mercium per alienam Provinciam ratione innoxiæ utilitatis ex commercio libero, justè negari non potest. Ergò si quis illam negaret, bello appeti posset. Antecedens deducitur ex Jure Gentium, seu communi quadam, quæ inter homines est, affinitate & consuetudine; unde studium quoddam societatis hu-

manæ conſervandæ, quo fit, ut homo homini utilis ſint in iis, quæ ſibi non noceant, nec jure poſſit impedire commercia ad ſocietatis utilitatem inſtituta. Si enim poſſet impedire, id contigeret ratione alicujus lucri ceſſantis. Atqui aliquod lucrum eſt non magni pretii, ac proinde indebitum; ideoque ſic eſſet, pro damno reputandum.

Reſpondeo. Eſſet pro damno reputandum, ſi tranſvectio mercium externarum luxum inferret, ſi tranſvectio eſſet nimium frequens, adeoque Civitati noxia; Si ejuſmodi mercium ſuppetat copia in Civitate propria, aut in territorio; Si utilitas, quæ has diſtrahendo parari poteſt, ex alienis mercibus impediatur. Hæ poſſunt eſſe rationes negandi exteras tranſvectiones.

Quibus negatis, non proindè exoritur belli juſtitia. Jus autem Gentium, quod objicit Grotius, *procedit* in iis, quæ ſunt accipienti utilia, nec danti moleſta. *Sic utique deteſtando foret iniquitas*, ut Cicero ait lib. 3. de Officiis: *probibere aquam ex profluente, negare ignem ab igne, viam erranti non commonſtrare, ſupervacanea potiùs corrumpere, quàm integra ad aliorum uſum relinquere.* Hinc ait: Ovidius.

Quis vetet oppoſito lumen de lumine ſumi?
Quis probibebit aquas? uſus communis aquarum eſt.

Ad id, quod dicitur de lucro non Magni pretii, quod externis provenit ex libèra mercium tranſvectione, reſpondeo, jus non ſuppetere externis ejuſmodi lucro prohibendi Civitatem, per quam merces eorum tranſvehuntur. Cur enim nobis metipſis proximi non ſimus, aut nobis potiùs hoc lucrum non reſervemus? Quid obſtat quominùs noſtris civibus id lucri vendi-

ce-

cemus, quod apud exteram gentem nituntur præripere transeuntes.

Ex quibus colligo fas non esse cuivis Jure Gentium peregrinari in alienas regiones, cum incolarum detrimento, appellere navigia, uti portubus, fluminibus, negotiari prolibito, effodere aurum, piscari margaritas. Ratio est, quia post factam rerum divisionem habet dominium Respublica proprium quò ad portus, flumina, & cætera. Ergò hujusmodi rerum usus liber, & aliquo modo noxius prohiberi potest, ut ex praxi communi perspicuum est: quamquàm ea, quæ diximus, de Jure Gentium dici possunt hoc sensu, quod quamdiù non prohibentur cuivis extraneo, illis uti fas est. Cæterùm quòad commercium, remoto etiam omni detrimento Reipublicæ propriæ, facilè contingere potest, ut respectu causæ, modi, vel alterius circumstantiæ fiat injuria negatione mercium transvectionis, quæ negatio justi Belli legitimus titulus esse possit.

DISPUTATIO II.

De effectibus Belli.

Effectus Belli alii sunt respectu hostium, alii rerespectu subditorum: alii respectu vincentium, & devictorum. Itèm effectus Belli necessarii sunt obligationes in Bello, contingentes Represaliæ, quas vocant de his omnibus differemus per capita.

CAPUT I.

De effectibus Belli, primariò, e ſecundariò reſpectu hoſtium.

EFfectus Belli primarius eſt jus occidendi hoſtem; cum fine, hoc eſt Bello, conceſſo, neceſſaria media concedantur. Excipiuntur imbelles, quales infantes; imbecilles, quales fœminæ, niſi & ipſæ pugnent; inermes, quales perſonæ ſacræ; utiles in commune, quales agricolæ, mercatores, & univerſe omnes, quorum vitæ genus abhorret ab armis Accedunt primò Capti, cum, teſtè Pyrrho apud Senecam in Troadibus.

Adimere Capto vitam reſpectus verecundiæ, pudorque.

Secundò vitam paciſcentes armis depoſitis; quia, Sopatre Auctore, moris eſt in Bello ſervare ſupplices. Tertiò ſe victori dedentes. *Nam trucidare deditos, ſævum eſſe* Tacitus dixit Annalium lib. 12. idque contra Jus Belli pugnare cenſuit Livius. Quartò ad Bellum coacti, deque Belli a victore illati juſtitia perſuaſi; modo coactio a victo Principe illata militibus, & perſuaſio victori innoteſcant; quia in coactione, aut perſuaſione juſtitiæ nulla eſt culpa ſupplicio mortis luenda. Quintò innocentes non ſunt directe interimendi, repugnante divino Jure Naturali.

Huic exceptioni exempla contraria apud Grotium nihil afficiunt, neque probant licentiam occidendi ex Jure Naturæ, vel Gentim permiſſivo, ſed impunem tolerantiam: fortaſſe quia noluerint Gentes hoſtili furo-

rori metas præſcribere, quas in tanta nocendi proclivitate obſervare difficilimum foret, ne bellum ex Bello naſceretur.

Neque jus talionis habet hìc locum. Non enim permiſſum eſt a natura adverſus innocentes, licèt ſint membra communitatis nocentis, quippè qui ſuccedanei non fiunt ad pœnam mortis. Nec quidquam evincit victoris utilitas, quæ capi poſſit incutiendi terroris morte innocentium. Etenim terror incuti poteſt aliis modis, quàm ſævitia in innocentes; nec pertinacia in reſiſtendo; quæ potius in hoſte laudanda eſt. Hìnc Alexander cognomine Magnus, cum aliquandò acriùs reſiſtentes, deindè victos juſſiſſet interfici, viſus eſt Indis bellare latronum more. Quocirca malam veritus famam, victoriis deindè cœpit uti clementiùs. Multò minùs eſt juſta deditorum cædes ex vehementi dolore proptèr cladem acceptam: quemadmodum legimus Achillem, Æneam, Alexandrum captorum ſanguine, aut ſe dedentium amicis ſuis parentaſſe.

Ad modum quòd attinet tollendi hoſtem, Jure Naturæ, & Gentium vetita eſt ſicariorum immiſſio.

Hinc Alexander Darium coarguit apud Curtium lib. 4. *Impia bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita*. Eſt etiam vetitum Jure Gentium. Primò veneno hoſtem tollere, partìm ne contra communem utilitatem multiplicentur Belli pericula, aliundè ſatis multa; partìm ne Regum, ac Principum vita, qua Reipublicæ nititur incolumitas, nimio diſcrimini eſſet expoſita. Secundò eodem jure, ſaltèm apud Gentes paulò cultiores, arma ſunt vetita veneno infectas, ne denuò pericula multiplicentur. Tertiò vetitum eſt, ne toxicum fontibus infundatur; cum poſſit hoſtis incommodo affici, vel aliò fontes derivando, vel exſiccando.

Effe-

Effectus Belli ſecundarius reſpectu hoſtium eſt jus in res, ac bona hoſtilia.

Probatur hoc argumento a majori ad minus, hoc eſt a vita ad vitæ bona; Hinc Tullius lib. 3. de officiis: *Neque eſt contra naturam ſpoliare eum, quem honeſtum eſt necare.*

Hinc Jure Naturæ licet arces diruere, propugnacula facere, capere, eripere hoſti arma, naves, bona etiam innocentium, quatenùs id poſtulat neceſſitas, ac utilitas bellica, ut victoria comparetur, aut vires hoſtium minuantur. Ratio eſt, quia, fine conceſſo, conceduntur & media ad finem conſequendum.

Verumtamèn ſunt illicita quæ ſequuntur. Primò ultra metas neceſſitatis, ſeu utilitatis res corrumpere, aut devaſtare: iniquum eſt enim nullo ſuo bono nocere alteri. Secundò innocentium bona diripere, ſi ſatisfactio haberi poſſit aliundè: nàm bona innocentium ſolo nomine pignoratitio ſunt obligata Reipublicæ: Quòd ſi communitas deliquiſſet, cujus illi membra cenſentur, tunc ipſi non ſpoliari modò, ſed etiam in ſervitutem abripi poſſent. Tertiò non licet in bona depoſita, ſeu non hoſtium, graſſari, quia deficit Belli titulus. Quartò plùs bello occupare, quàm jure prætendi poſſit, ſi injuria ab hoſte illata tantùm ſit materialis proptèr bonam fidem rei poſſeſſæ. Quòd ſi bona Fides non adſit, ideòque ſit injuria formalis, etiam expenſæ, aliaque damna poterunt compenſari. Hoc enim fieri ſolet in judiciis forenſibus. Ergò multò magìs poteſt fieri in Bello.

Jure Gentium major eſt Belli licentia, qua dominium omnium, quæ hoſti eripiuntur, in victorem transfertur, ſi ita ſint in poteſtatem redacta, ut recuperationis ſpes hoſti ſit interciſa. Quarè Ariſtoteles in Politicis: *Lex*, inquit, *quoddam pactum commune eſt,*

quo

quo bello capta capientium fiunt. Quòd tamèn jus locum habet in foro externo dumtaxàt, ubi actio negatur, ſeu jus repetendi. Etenìm in foro interno res ſaltem immobiles, ultra debitam compenſationem ereptæ, ſunt victo reſtituendæ, niſi ratio ſecuritatis in ereptis quibuſdam arcibus ſecùs fieri poſtularet, & hoc ad tempus.

Hæc autem dominii prærogativa locum habet dumtaxat in Bello juſto. Primò quia Jure Naturæ & Gentium ad Bellum requiritur juſta cauſa: Ergò etiam ad effectum Belli, ſeu rerum dominium. Secundò quia in Bello injuſto omnes actiones injuſtæ ſunt, & in foro interno ſunt bona erepta reſtituenda. Ergò etiam in externo, cum non appareat exceptio ſpecialis.

Neque obſtat, quòd in Bello juſto exceſſus ſatisfactionis, etsì injuſtus, Jure Gentium fiat legitimus quòad forum externum: quaſi verò Jus Gentium partis in Bello, quantumvìs injuſto, titulum daret. Nam diſpar eſt ratio. Bello juſto erepta nituntur & legitimo titulo, & juris præſumptione, propterea quòd ad ſatisfactionem pertineant utique debitam, licèt conſcientiæ victoris relinquatur decernere, quantum debeatur. Contrà verò qui Bello injuſto ditati ſunt, non modò titulo carent, ſed omnium Gentium in ſe odium concitant; ideòque nullum merentur juris præſidium.

Jus in hoſtium bona nullo modo ſe extendit ad loca ſacra, templa, altaria, neque ad res ſacras, neque ad bona Eccleſiaſtica, ſaltèm per ſe loquendo. Probatur primo: Eccleſia qua talis, non eſt pars Reipublicæ bellum gerentis. Ergò nefas erit, res & bona alieni corporis, Bello non implicati, invadere ac perdere. Hinc Polybius, quantùmvis Ethnicus,

ait ? *Quæ neque nobis ad bellum usui futura sunt , nec hostibus incommodatura , ea perditum ire , templa maximè , & quæ in eis simulacra , & similia ornamenta , quis neget malæ mentis , & præ ira furibundæ esse opera?*

Objicit primò Grotius cum aliis Protestantibus auctoritatem Pomponii Jurisconsulti dicentis: *cum loca capta sunt ab hostibus , omnia desinunt esse Sacra . Ergò licet illa diripere.*

Respondeo loca capta desinere esse sacra in sensu Gentilium , non Christianorum . Gentilium persuasio erat , ex inepta superstitione profecta , aras & fana Urbium captarum a Diis esse deserta , adeoque & profanata , libertati verò pristinæ restituta , denuo a Diis esse revisa , atque adeo de novo sacrata , ut colligitur ex Virgilio lib. 2. Æneidos.

Excessere omnes adytis , arisque relictis
Dii , quibus Imperium hoc steterat ...

Reponunt primò . Justinianus Imperator Christianus sententiam illam Pomponii Digestis suis inseruit . Ergò pro vera habuit.

Respondeo Justinianum dicere , quod templa capta sacra esse desinant facto , non jure , propterea quod suo tempore ab hostibus Imperii Sacrilegè diripiebantur . Ratio hujus est primò quia vel Justinianus limites suæ potestatis excederet , si cum facto jus etiam intelligeret ; vel in textu ac contextu sibi ipse repugnaret . Secundò quia in Titulo ad Legem Juliam peculatus , & de sacrilegio , templorum direptionem , ac profanationem , tamquam sacrilegam , reprobavit .

Reponunt secundò . Jus Gentium non excipit sacra : nam hæc quoque pertinent ad communitatem ,

nec

nec nisi inepte eximuntur ab humano commercio. Ergo licet ea diripere.

Respondeo Jus Gentium, sive merum, sive mixtum, nihil in sacra victoribus tribuit: hæc enim divino, humanoque jure exempta sunt. Quod probatur exemplo Baltassaris, & Antiochi, qui ob vasa sacra templis erepta ab ipso Deo puniti sunt.

Addidi in propositione, *per se loquendo*. Nam excipitur primò casus, quo Ecclesiastici sese bello immiscеant contra quam deceat eorum statum: quo tamen casu salva esse debent Ecclesiæ bona, *cum delictum personæ non debeat nocere Ecclesiæ*, ut decernitur capite *Delictum 76.* Secundo excipitur casus, quo præter intentionem damnum Ecclesiæ importaretur. Quemadmodum fieri potest, ut præter intentionem innocentes occidantur. Tertio casus, quo contra leges Ecclesiæ templa essent munita instar arcis, & castri.

CAPUT II.

De effectibus Belli relate ad victores, & victos.

QUæ juste sunt acquisita in Bello justo, primario cedunt Principi, ita ut ab ejus pendeat voluntate quidquid militibus licitum est in prædando per excursiones.

Patet. Milites enim sunt mera instrumenta, & quod agunt, auctoritate Principis agunt, ita ut omnia ad summum Imperium redundent.

In specie immobilia cedunt Principi, & in mobilibus tormenta Bellica. Alia mobilia cedunt etiam Principi, saltem quæ in prælio comparantur: Milites enim non nomine proprio, sed ex homagio, quod vocant, Principi militant: Jure tamen Justinianæo ce-

ait ? *Quæ neque nobis ad bellum usui futura sunt , nec hostibus incommodatura , ea perditum ire , templa maximè , & quæ in eis simulacra , & similia ornamenta , quis neget mala mentis , & præ ira furibundæ esse opera?*

Objicit primò Grotius cum aliis Protestantibus auctoritatem Pomponii Jurisconsulti dicentis: *cum loca capta sunt ab hostibus , omnia desinunt esse Sacra . Ergò licet illa diripere.*

Respondeo loca capta desinere esse sacra in sensu Gentilium , non Christianorum . Gentilium persuasio erat , ex inepta superstitione profecta , aras & fana Urbium captarum a Diis esse deserta , adeoque & profanata , libertati verò pristinæ restituta , denuo a Diis esse revisa , atque adeo de novo sacrata , ut colligitur ex Virgilio lib. 2. Æneidos.

Excessere omnes adytis , arisque relictis
Dii , quibus Imperium hoc steterat ...

Reponunt primò . Justinianus Imperator Christianus sententiam illam Pomponii Digestis suis inseruit . Ergò pro vera habuit.

Respondeo Justinianum dicere , quod templa capta sacra esse desinant facto , non jure , propterea quod suo tempore ab hostibus Imperii Sacrilegè diripiebantur . Ratio hujus est primò quia vel Justinianus limites suæ potestatis excederet , si cum facto jus etiam intelligeret ; vel in textu ac contextu sibi ipse repugnaret . Secundò quia in Titulo ad Legem Juliam peculatus , & de sacrilegio , templorum direptionem , ac profanationem , tamquam sacrilegam , reprobavit .

Reponunt secundò . Jus Gentium non excipit sacra : nam hæc quoque pertinent ad communitatem ,

nec

nec nisi inepte eximuntur ab humano commercio. Ergo licet ea diripere.

Respondeo Jus Gentium, sive merum, sive mixtum, nihil in sacra victoribus tribuit: hæc enim divino, humanoque jure exempta sunt. Quod probatur exemplo Baltassaris, & Antiochi, qui ob vasa sacra templis erepta ab ipso Deo puniti sunt.

Addidi in propositione, *per se loquendo*. Nam excipitur primò casus, quo Ecclesiastici sese bello immiscеant contra quam deceat eorum statum: quo tamen casu salva esse debent Ecclesiæ bona, *cum delictum personæ non debeat nocere Ecclesiæ*, ut decernitur capite *Delictum 76.* Secundo excipitur casus, quo præter intentionem damnum Ecclesiæ importaretur. Quemadmodum fieri potest, ut præter intentionem innocentes occidantur. Tertio casus, quo contra leges Ecclesiæ templa essent munita instar arcis, & castri.

CAPUT II.

De effectibus Belli relate ad victores, & victos.

QUæ juste sunt acquisita in Bello justo, primario cedunt Principi, ita ut ab ejus pendeat voluntate quidquid militibus licitum est in prædando per excursiones.

Patet. Milites enim sunt mera instrumenta, & quod agunt, auctoritate Principis agunt, ita ut omnia ad summum Imperium redundent.

In specie immobilia cedunt Principi, & in mobilibus tormenta Bellica. Alia mobilia cedunt etiam Principi, saltem quæ in prælio comparantur: Milites enim non nomine proprio, sed ex homagio, quod vocant, Principi militant: Jure tamen Justinianæo ce-

dunt militibus, ut ſint incitamenta alacritatis. Multo magis in excurſibus liberis ſibi lucrantur milites, quia non publicam, ſed ſuam ſibi potius navare operam cenſentur.

Victoria, *Sylveſter*, Molina licitum eſſe putant Urbem integram in prædam dare militibus; quia in bello juſto acquiritur jus in hoſtium bona, præſertim vero ſi direptio videatur ad bellum finiendum neceſſaria. Cautio tamen eſt, ut Duces vitanda curent flagitia, cædes Innocentium, ſtupra, adulteria, templorum profanationes. Sed quia hoc eſt difficillimum, ſine peccato vix permittur licentia hujuſmodi.

Reſpectu eorum qui victi ſunt, eſt dominium victoris in captos, etiam cum jure in vitam, quo toleratur & non punitur a victore Principe occiſio hoſtis capti, abſtrahendo a Religione Chriſtiana. Quare illud Caji, *quòd apud omnes gentes dominis fuerit poteſtas vitæ neciſque in ſervos*, intelligendum eſt de Jure Gentium ſolum permiſſivo quoad externam impunitatem, cum jus vitæ ſoli Deo ſit reſervatum.

Servitus Jure Gentium inducta eſt. Cauſa inducendi fuit, ut fræno cohiberetur occidendi libido, propoſitis tot ſervitiorum commodis. At inter Chriſtianos jam pridem ſublata eſt ſervitus, partim ob libertatem, qua nos donavit Chriſtus Dominus, partim ob caritatem, qua ejuſdem myſtici corporis membra ſumus ſub uno capite Chriſto.

Ad eumdem Belli effectum pertinet Imperium in victos, ſed civile, & mediatum, & in favorem Religionis Catholicæ. Excipitur caſus, quo Princeps devictus haberet ſubditos mediate tantum, nec abſolute ſibi ſubjectos, in quos victori Imperium cederet conditionatum, ſi nempe congrua ſatisfactio nequeat obtineri. Excipitur etiam caſus Principis devicti, ac

Bel-

Bello capti, quo casu victori non illico Imperium cederet in Principis subditos, quia a Principe captivo vi captivitatis non transfertur Imperium in victorem, sed usus tantum impeditur. Si ultro cederet, regione patrimoniali Princeps excideret. Hæc enim potest alienari; non tamen cæteris excideret quæ lege Reipublicæ Principi fuerant assignata; cum ista non possint alienari, nisi populo aut victo, aut assentiente. Quare victori jus non est in vitam Principis captivi; cum principalis dignitas in Principe maneat, etiam captivo, nec possit umquam violari, nec Princeps in Principem, instar subditi, potest delinquere, aut instar subditi supplicio affici.

Victori convenit regulariter Imperium tantum civile in populum devictum; cum ex Jure Naturæ saltem congruum sit, ut imperia civiliter administrentur, neve ad tyrannidem, subditorumve oppressionem convertantur, tametsi Bello sint acquisita. Quin etiam imperia herilia sublata esse videntur apud Principes Christianos, sublata, ut diximus, servitute. Transit etiam in victorem Imperium tantummodo mediatum; cum ex Principiis vere politicis videatur Imperium immediatum devicto Principi, aut Populo relinquendum, reservato tributo, præsidio imposito, aut forma regiminis immutata. Denique pertinet ad victorem Imperium, quod sit in favorem Religionis Catholicæ. Quod ex principiis Grotii, quantumvis Acatholici Auctoris, clare colligitur. Ait enim lib. 3. cap. 15. *Indulgentiæ in victore pars est avitæ Religionis usum victis, nisi persuasis, non eripere, sed tolerare, quia victis pergratum, & victori innoxium. At si falsa foret apud victos Religio, ne vera opprimatur, recte curabit victor, exemplo Constantini, aliorumque Francorum Regum.*

Ex quibus argumentor: Religio avita, & unice vera,

ra, est solum Catholica, ut contra Sectarios, Paganos seu Ethnicos, Turcas, Judæos Polemici evidenter ostendunt: Ergò in locis, ubi viget, a victore victis est permittenda; ubi non viget, quòad fieri potest, fovenda est, & victoris brachio sustinenda, ne opprimatur, neve illius exercitium impediatur.

CAPUT III.

De effectibus Belli quoad subditos.

PRimus effectus est arbitrium in Principe conscribendi milites intra territorium proprium, & sine coactione, saltem respectu non subditorum, sed ad tempus degentium in territorio. Alter effectus est jus, ut vocant, sequelæ quo subditi in gravi necessitate Reipublicæ ad justam defensionem evocari & compelli possunt a potestate suprema. Hujus juris fundamentum statuitur in necessitate, nationumque omnium consuetudine, hoc est in Jure Naturæ, ac Gentium. Tertius effectus est jus exigendi sumptus pro alendo milite. Quippe in bello justo est legitimus titulus imponendi tributa. Quartus effectus est jus in Principe curandi enixe rem militarem, hoc est armamentaria instruendi, militesque exercendi, ut habiles reddantur ad arma tractanda. Quintus effectus est jus extruendi munimenta, imponendi præsidia, imperandi excubias.

Non tenentur subditi, præcipue evocati a Principe ad bellum, ejusdem belli justitiam examinare.

Ratio est, quia subditus est exequutor imperii, quod Princeps dederit, non scrutator. Secus enim obedientiam relinquerent, ad Reipublicæ bonum necessariam, qua sublata imperium langueſceret. Secundò tenen-

tur

tur ſubditi juſtitiam belli cognoſcere in eo caſu, quo rumor communis injuſte bellum eſſe ſuſceptum promulgaret. Ratio eſt, quia ſecus verſarentur in ignorantia culpabili & affectata, qua cum honeſtas actionis componi non poteſt. Tertio ſtante nihilominus dubio, bellare ſubditis licet poſt factam inquiſitionem, quia in dubio ſtat præſumptio pro juſtitia. Hæc dicta de ſubditis, applicari etiam poſſunt militibus conductitiis, qui conſcripti ſunt ante bellum, de quo oritur dubium; quia in hoc caſu ſubditis æquiparantur: poſſunt & iis applicari, qui poſt bellum indictum ſunt conſcribendi. Poſſunt enim deponere dubium formando ſibi judicium practicum, quod licitum ſit ad bellum proficiſci, propterea quod ejuſmodi cauſa melius perpenſa, & cognita ſit a Concilio Principis. Id tamen eſt certum, quod in dubio practico operari ſit ſemper illicitum, & quod milites ita comparati, ut quodvis ab bellum, etiam quod injuſtum agnoſcantur, non ſunt excuſabiles a gravi peccato.

CAPUT IV.

De obligationibus in Bello.

PRimo. Obligatio generalis in Principe injuſte bellum ſuſcipiente ac gerente, eſt onus reddendæ Deo rationis de cunctis cædibus, rapinis, & malis, una cum reparatione damnorum omnium, quæ quidem poſſint reparari. Hoc eſt manifeſtum. Ceſſat hæc tamen obligatio, ſi bona fides, & ignorantia invincibilis excuſet Principem. Idem dicendum de Conſiliariis, Ducibus, aliiſque qui ſcienter injuſto bello cooperantur. Secundo obligatio Principis in ſpecie reſpectu militum infert ſolutionem ſtipendii ex contractu.

Se-

Secundo. Obligatio militum reſpectu Principis pertinet ad cuncta ſervitia militaria, etiam cum prævisо mortis periculo præſtanda. Reſpectu aliorum eſt, ut juxta *B. Joannis* Præcurſoris effatum, contenti ſint ſtipendiis ſuis, neminem concutiant, nemini calumniam faciant, nec vi, nec fraude ſibi plus vindicent quam oportet.

Quocirca omnes annonariæ fraudes quæſtorum, omnes induſtriæ Ducum dolis plenæ, militumque in ruſticos violentiæ illicita ſunt militaris licentiæ ſpolia, atque adeo obnoxia reſtitutioni. Hoc enim poſtulant juſtitiæ leges ubique ab omnibus obſervandæ. Sed hæ leges in bello nonnullis etiam orthodoxis videntur chimericæ, tametſi in Evangelio diſerte traditæ ſint, & vel ab Ethnicis bellum gerentibus obſervatæ Ita Velleius refert de Sulla lib. 2. *Putares veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque, cum ſingulari cura frugum, agrorum, urbium, hominumque perduxit in Campaniam.* De Pompejo ſcriptum reliquit Cicero in Oratione pro lege Manilia *Ejus legiones ſic in Aſiam pervenisſe, ut non modo manus tanti exercitus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur.* De Stilione narrat Claudianus.

Tanta quies, juriſque metus ſervator honeſti.
Te moderante, fuit, nullis ut vinea furtis,
Au ſeges erepta fraudaret meſſe colonum.

Tertio. Obligatio reſpectu hoſtium inter ſe præſcribit. Primo. In bello incipiendo juſtitiam. Secundo. In modo belli gerendi moderationem. Hinc D. Augunus Epiſtola 1. ad Bonifacium *Hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas.* Sicut bellandi violentia redi-

ditur, ita victo misericordia debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur. Marcellus, ut ait Cicero 2. Verrina: *Ædificiis Syracusanis, Sacris, ac profanis ita pepercit, ac si ad defendenda, non expuguanda cum exercitu venisset.* Tertio requirunt sinceritatem oppositam dolo malo atque mendacio, non insidiis ac stratagematis licitis. Ratio est, quia numquam mentiri licet; & aliunde cum in bello justo fas sit hosti nocere, fas quoque erit occultando illi consilia efficere, ut a seipso decipiatur, & damnum accipiat. Et Deus ipse stratagematis auctor fuit Josue cap. 8. *Pone insidias urbi*. Hinc S. Augustinus quæst. 10. in librum Josue: *Cum justum bellum suscipitur, aut vi aperta quis pugnet, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest*. Quarto petit fidelitatem in promissis servandis, *quia nullum decorum esset potest, si violetur fides*, ut ait S. Ambrosius lib. 1. Officiorum: Quinto præscribit honestatem, ut ne per stupra, aliaque nefanda flagitia victores sæviant in devictos. Patet hoc ex Jure Naturali & Divino, imo Gentium paulo cultiorum. Sexto obligat hostes ad humanitatem per sepulturam mortuis exhibendam, saltem ex Jure Gentium, & secluſa pœna, exempli causa si hostis explorator suspendatur, ejusque cadaver in arbore relinquatur; veł Jure quodam reciprocationis. Docet S. Joannes Chrysostomus in Oratione de lege: *Quod ex lege mortuos nemo judicet hostes, ira & contumelia in eorum corpora sese non extendente.*

CAPUT V.

De Repreſaliis.

REpreſaliæ, ſic dictæ ab Italia voce *Ripreſa*, ſunt ſpecies belli privati, utpote quo vindicatur injuria privato a privato illata: ac bene poſſunt definiri ſic: Repreſaliæ ſunt jus, quo Magiſtratus, aut Princeps ſubditos ſuos ab illata per externos injuria vindicat, redditque indemnes in caſu denegatæ ab eiſdem juſtitiæ.

Ejuſmodi jus non a natura, quæ neminem ligat ex alieno delicto, ſed Jure Gentium inductum eſt; & videtur habere rationem imputationis, cum Magiſtratu creditoribus exteris juſtitiam denegante pro ſuorum debitis, ipſa communitas, ſeu ſingulorum civium bona, ob arctiſſimam unionem membrorum & corporis, obligata eſſe videantur. Ratio ejuſmodi juris eſſe potuit inhibitio vagæ licentiæ inferendi exteris damnum, vel Magiſtratu ad reddendam juſtitiam, vel ſubditorum bonis ad ſatisfactionem præſtandam obligatis, ob conjunctionem moralem, vi cujus factum civitatis civibus ſingulis, & factum ſingulorum toti civitati poteſt imputari; ideoque minime iniquum viſum eſt, ſingulos, velut in ſubſidium, pro debito civitatis eſſe obligatos. Neque obſtare poteſt unius, vel alterius innocentis damnum, quia cedit commodo publico, cunctiſque gentibus communi: præterquam quod privatorum damna in Communitate ſint ſæpius inevitabilia, ſitque in cujuſvis arbitratu ad communitatem recurrere, a qua ejuſmodi detrimenta privatis civibus ſunt reſarcienda.

Repreſaliarum proprietates ſunt primo ut fiant a Ma-

Magiſtratu, ſeu auctoritate publica; & in hoc differunt a pignorationibus, quæ a quovis judice decerni, vel etiam a privatis contra privatos auctoritate propria uſurpari poſſunt. Secundo ut nonniſi poſt formam juris tentatam legitime atque fruſtratam, nullo alio medio conſequendæ juſtitiæ ſuppetente, propterea quod ſint remedium extraordinarium, & violentum. Tertio ut fiant exceptis excipiendis, cujuſmodi ſunt perſonæ Principes, Eccleſiaſticæ, legati, viatores non ſubditi &c. Quarto ut fiant ſola perſonarum detentione, non ſeveriore tractatione, quia non ſunt hoſtes, ſed potius obſides. Res jure Repreſaliorum occupandæ ſunt bona ejuſdem generis, ſi fieri poſſit, neque excedentia damnum illatum: quia quod ultra æqualitatem eripitur, juſtum eſſe deſinit, & rapina vel furtum eſt. In bona ſic occupata non acquiritur tamen ipſo facto dominium, ut Grotius opinatur, ſed ſolum jus pignoris, quia Repreſalia res eſt diverſa prorſus a bellica occupatione, cum finis ejus ſit alius; nempe ut occupatione rerum detur anſa obtinendæ juſtitiæ antea negatæ: hac deſperata, acquiritur plenum dominium. Hic animadverto, nocentes teneri jure naturali ac Divino ad reparanda damna innocentibus illata: deinde jus Repreſaliæ eſſe reſtringendum, utpote odioſum, & quia eſt ſpecies belli, quo publicis ſcandalis atque incommodis, imo etiam tumultibus via aperitur.

DISPUTATIO III.

De Fœderibus.

DIsseremus primum de origine Fœderum: Deinde quæremus an licita sint, & quatenus. Sit igitur

CAPUT I.

De origine Fœderum, eorumque materia, forma, ritu, obligatione, executione, dissolutione, cautionibus adhiberi solitis.

ORigo Fœderum humano generi, ac societati civili coæva est. Sic, teste Dione & Livio, omnes Gentes, cum de imperio certarunt, ante omnia socios fortunæ suæ quærebant. Sic notum est fœdus Abrahami cum Abimelecho, Solomonis cum Hiramo, Machabæorum cum Romanis. Hæc origo descendit ab ipsa natura. Ratio est primo. Quia sicuti natura inclinat ad societatem humanam, ita & fœdera, velut fortissima securitatis publicæ vincula, tutissimaque ejusdem societatis præsidia. Secundo. Quia eidem societati non tantum expedit habere domesticos, sed & socios vicinos atque amicos, cum sine fœderatorum ope familia, hoste suo debilior, eidem resistere haud posset. Non tamen, proprie loquendo, origo fœderum est de jure naturæ, ut aliqui volunt; nisi jus improprie tale, seu mere concessivum intelligant. Ratio est, quia quamvis fœdera humanæ societati magnopere congruant, non tamen eorum usus est absolutæ necessitatis, ita ut exigantur determinate ab amo-

re,

re, qui debetur alteri naturaliter, & ad felicitatem naturæ consentaneam est simpliciter necessarius. Cur enim gens quælibet absolute loquendo, non possit sibi sola vivere, aliarumque nationum fœdera recusare? Excipiendus est casus ultimæ necessitatis, qua gens vicina ad avertendum interitum, fœdus justum exposceret, idque modis naturæ convenientibus, hoc est cum ratione & justitia sanciret.

Fœdus a Fide est appellatum, quæ interponitur fœderi; estque contractus publicus amicitiæ, mutui auxilii, & commerciorum gratia a diversis Civitatibus initus. Alium est temporaneum pro certa expeditione, aliud perpetuum. Perpetua fœdera de bello pacem excludente in tempus perpetuum videntur illicita & juri naturæ contraria, quæ pacem præcipit, bellumque solum permittit ad eam diutius confirmandam. Deinde aliud est fœdus æquale, aliud inæquale, quod nempe intercedit inter æquales, vel inæquales potentia, viribus &c. vel æquali, aut inæquali modo seu conditione honoris, commodi, vel potestatis: quæ tamen inæqualitas nullam subjectionem, sed potentioris tantummodo cultum, & observantiam comiter demonstrandam; eo quod longe aliud sit, aliquem esse in alterius fide, & esse in alterius ditione.

Dividitur præterea fœdus in offensivum, defensivum, ac mixtum. Offensivum ordinem habet ac respectum ad bellum offensivum, quo vis infertur ad injuriam, vel damna reparanda. Fœdus defensivum respicit bellum defensivum, quod ad injuriam illatam propulsandam suscipitur defensionis gratia. Mixtum vocatur illud, quod simul est offensivum, ac offensivum. Materia fœderum sunt res honestæ, ac licitæ: Nam improbæ actiones in pacta deduci nequeunt. Ejusmodi sunt matrimonia, commercia, auxilia, se-

cu-

curitas, bellum, pax, induciæ, aliaque negotia, & commoda, quæ ad ſtatum pertinent Reipublicæ. Forma conſiſtit in conſcriptione & conſignatione tabularum. Ritus pro varietate Gentium, & temporum varii ſunt; idem tamen ubique Gentium finis fuit, ut nempe conſtaret rei, de qua agitur, gravitas in fœdere ſanciendo. Noſtris temporibus per ſubſcriptionem, ſigillorumque appenſionem utriuſque partis, & adjecto jurejurando ad Sancta Evangelia ſanciri ſolent. Apud antiquiores Chriſtianos diviſione Sacræ Hoſtiæ fuiſſe aliquando firmata, ſunt qui ſcribunt de Paſchale II. Romano Pontifice, & Henrico V. Imperatore, Ludovico item Bavaro, & Friderico pulchro Auſtriaco.

Obligatio eſt graviſſima præſtandi omnia, quæ articulis fœderis ſunt comprehenſa.

Nam firmantur non modo Fide humana, qua nihil eſt in ſocietate humana Sacratius, ſed etiam Divina per jurisjurandi religionem. Hinc Romani quantumvis Ethnici, violatores fœderum olim acerrime ulti ſunt: Metium Dictatorem Albanorum quadrigis diſcerptum, Albas Urbem ſolo æquatam, Veientes a ſtirpe funditus deletos, Carthaginem intra quatuordecim dies incendio abſumptam, Campanos miſerandum in modum aut cæcos, aut duriſſima ſervitute oppreſſos, Corinthum ac Numantiam exciſam, civeſque omnes interemptos in Hiſtoricis legimus: tantus apud Gentiles violati quondam fœderis horror fuit. Quin etiam ſacrilega violati fœderis perfidia ſecum plerumque trahit ultionem Divinam. Teſte Thucydide, etiam Gentilibus perſuaſum erat, Deos eſſe fœderum arbitros, ideoque inexpiabilem eſſe religionem fidem fallere. Et pupulum Dei, ſi quando fœdifragus fuit, a Deo graviter fuiſſe percuſſum, Sacræ Litteræ teſtantur. Cer-

te

te Saulis posteritas, ob fœdus Gabaoniticum, vindictam sensit. Fides igitur publica servanda est, tam data quam jurata, Hæreticis, Turcis, aliisque infidelibus in fœdere per se licito, & quod nec Religioni, nec bonis moribus adversatur.

Impotentia moralis ex necessitate, aut periculo proprio excusat a fœdere implendo, cum quilibet sibi proximus sit, & promisisse credatur, exempli causa, se fœderatis laturum suppetias, nisi ipse magis indiguerit.

Fœdus Belli offensivum, si sit contra Turcas, vel alios alieni Imperii invasores, extendendum est non modo ad amissa recuperanda, sed etiam ad enervandam illorum potentiam, donec pro illatis damnis satisfaciant, & securitatem præstent, in posterum se non offensuros.

Fœdus defensivum, si initum sit conditionibus inæqualibus, aut sancitum cum Turcis & Barbaris contra bonum Reipublicæ Christianæ, exitiosum evadit ac restringendum est. In sensu verborum fœderis dubio ad fœderatorum mentem, magis vero similem, recurrendum est. Interpretatio extensiva de persona ad personam, vel de causa ad causam, in fœdere non expressam, locum non habet, nisi fuerit expressa saltem ratio generalis unica & adæquata, ex qua non ambigue constet, voluisse fœderatos, etiam in casu simili, conventionem suam procedere.

Fœderis dissolutio fit per renuntiationem mutuam, lapso jam tempore in fœdere constituto, aut Bello, seu negotio finito, cujus solius causa initum est; morte item fœderatorum, vel naturali, vel civili; hoc est, si status publicus immutetur in ordine ad finem in fœdere contentum. Dissolvitur etiam fœdus ipso non usu, cum præsumitur partis utriusque consensus,

eo

eo quod fœderatus diu non præſtitit, quæ præſtare debebat, tacente altera parte.

Stante fœdere bellico, unus fœderatus, altero invito, vel ignorante, particularem pacem inire nequit: hoc enim tenderet in fœderis deſtructionem, ut patet. Majore etiam parte fœderatorum in diſſolutionem fœderis conſentiente, non propterea diſſolvitur fœdus; quia agitur de jure ſingulorum.

Conditione fœderis non impleta, licitum eſt fœderi renuntiare, ut in aliis pactis uſu venit. Fœdus, unius renuntiatione illicite facta, ſolvitur in favorem alterius fœderati non renuntiantis.

Procurare juſtorum fœderum ſolutionem modis illicitis, nempe dolis, donis, ſexcentiſque aliis artibus ſacrilegum eſt ac infame. Patet hoc ex Jure Natu- & Gentium, divino & humano.

In pangendis fœderibus cautiones adhiberi ſolitæ ſunt hujuſmodi. Fœdera perpetua non ſunt facile ineunda; nec ineunda leviter inter nimium impares: nam fœderatus multo debilior parum proderit, multo potentior erit nimium periculoſus, hoc eſt ab eo periculum erit ne inæquali hoc fœdere debiliori ſervitus inducatur. Utilia tamen ſunt ejuſmodi fœdera de commerciis inſtituendis.

Cavenda eſt primò nimia fœderatorum multitudo. Nihil eſt enim facilius, quam inter multos unum, vel alterum a Fide deficere, privati commodi ſtudio. Secundò Ariſtoteles in Politicis Auctor eſt, viciniam eorum, qui fœdus inituri ſunt. eſſe potiſſimum attendendam. Nam remoti nimium difficulter ſuccurrent in tempore. Tertiò attendendum ingenium, & mores: nam inſtabiles, & a moribus commodiſque noſtris alieni non ſunt in fœdus vocandi. Quarto attendenda eſt etiam religio, præſertim in Bello Religionis com-

commoda ſpectante. Quintò denique attendenda eſt cauſæ juſtitia, ut ne inaniter iniquitatis vinculo conſtringamur, Item neceſſitas, & opportunitas, ſine qua Politici ſatius eſſe dicunt ſuis viribus niti, quam fœderibus implicari.

CAPUT II.

An, & quatenus Fœdus licitum ſit.

UT Fœdus ſit licitum, poteſtatem requirit illud ineundi. Hanc habent populi liberi, iique omnes, qui ſunt Principes Supremi. Ratio eſt, quia finis fœderum principalis eſt utilitas publica, quæ reſpicit tantummodo populos liberos, vel ſummos imperantes.

Illicitum eſt Catholico Principi contrahere fœdera cum tyrannis, quà talibus, hoc eſt non adeptis poteſtatem ſummam conſenſu tacito populi, vel expreſſo. Eſt enim illicitum cooperari injuſtitiæ.

Illicitum eſt Catholico Principi contrahere fœdera qualiacumque cum infidelibus, vel quibuſcumque aliis Fidei Catholicæ hoſtibus, in grave ac directum præjudicium noſtræ Religionis, exempli cauſa, ſuppeditando Principi Infideli, bellum gerenti in Catholicum Principem, arma, pecuniam, milites, annonam. Ratio eſt, quia tale fœdus aperte eſſet injuſtum, utpote infidelitatis defenſivum, veræque Religionis offenſivum.

Illicitum eſt Catholico Principi inire fœdera, etiam defenſiva, ſive præbendo, ſive petendo auxilia ab infidelibus, vel aliis Eccleſiæ Catholicæ inimicis contra alios, maxime Catholicos, in ordine ad bellum, cæteroquin juſtum, cum certo tamen, & gravi, quan-

tumvis indirecto Religionis Catholicæ detrimento connexum. Ratio eſt, quia cum Religionis Catholicæ commune bonum, a quo dependet animarum ſalus, præferendum ſit bonis temporalibus, tale fædus quantumvis aliunde juſtum, hac tamen ratione injuſtum fieret atque illicitum.

Sed Hugo Grotius, Oldradus, Socinus, Albericus, Conringius, & alii, preſertim ex Acatholicis, Catholicorum cum infidelibus fædera licere contendunt. Contra hos tamen non deſunt multi Scriptores, maxime ex Orthodoxis, qui regulariter (exceptis nempe quibuſdam caſibus non ordinariis) ut illicita oppugnant. Probant autem his àrgumentis.

Primo. Auctoritate Sacræ Scripturæ, ubi legimus Deum ejuſmodi fædera graviter prohibuiſſe & caſtigaſſe. Sic enim legimus Exod. cap. 23. *Non inibis cum eis* (*hoc eſt*, *infidelibus Chananæis*) *fædus* לֹא תִכְרֹת לָהֶם.

Secundò. Auctoritate ſummorum Pontificum, Patrum, atque Doctorum. Joannes VIII. fædus, quorumdam Italiæ Principum cum Saracenis magnopere eſt deteſtatus, *tamquam impium ſcelus, & ſocietatem initam ad perditionem animarum*. Vide Baronium ad annum Chriſti 881. Tum hæc addidit Epiſt. 38. *Iterum atque iterum exhortamur, ut Chriſtiani nominis viri Paganorum fædera fugiant, & ſolum in Deum, non in Diaboli membra, quæ ſunt vaſa iræ, ſpem ſuam ponere diſcant*. Sic Alexander III. in capite *Judæis* 5. de Judæis & Saracenis, *excommunicentur*, inquit, *qui cum eis præſumpſerint habitare*. Similia ſtatuit Clemens III. diſerte prohibens mercimonia, conſilia, vel alia ſubſidia, qui ſunt ordinarii fæderum fructus. Quæ omnia ſingulis annis confirmantur in Bulla Cœnæ.

Accedunt Sancti Patres. D. Joannes Chriſoſtomus Homilia 1. in Matthæum de Joſaphati fædere cum Aca-

Acabo ita differit : *Vides, quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere: quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos ſupra dicta Hiſtoria de Aſa; quoniam nec dare, inſtruit nos hæc Hiſtoria de Joſaphat.* S Gregorius Nazianzenus ſimilia ſcripſit Imperatori Oratione 46. qui cum hæreticis fædus inierat, eiſque libertatem conſcientiæ dederat. Similia Gregorius Magnus Epiſt. 10. lib. 7. Francorum Regibus Theodorico, & Theodeberto.

Accedunt Scriptores plurimi, Layman, Suarez, Majolus, Beſoldus, Pignatellius, Reiffenſtuel noſter, & alii plurimi, qui probant ex Hiſtoria Sacra & Eccleſiaſtica, fædera ejuſmodi ſemper male ceſſiſſe. De Ochozia, Joſaphato, Aſa, Amaſia teſtimonium habemus in veteri Teſtamento : Judam Machabæum ſimiliter legimus, eum fædus contraxiſſe cum Romanis, & cum fratribus cecidiſſe. Idem Jonathas eſt expertus Judæ frater eo ipſo tempore, quo renovavit hoc fædus. Sic Eudoxiam Auguſtam, ſic Bonifacium Comitem, Vandalorum Arianorum contracto fædere miſere periiſſe. Palæologi Imperatores Græcorum in Oriente, facto cum Turcis fædere infinita intulere rei Chriſtianæ detrimenta, totumque Imperium Orientale peſſumdederunt.

His tamen non obſtantibus, conveniunt utriuſque ſententiæ Auctores, licitum eſſe Catholico Principi inire fædera cum infidelibus, ſeu hoſtibus Eccleſiæ in Bello aperte juſto, & cum morali certitudine quòd omne periculum, ſcandalum, damnum a Religione Catholica excludantur. Ejuſmodi caſus eſſet primo, ſi fædera eſſent de commercio dumtaxat; quo ſenſu non tam fædera, quam conventiones debent appellari : Quare Cardinalis Oſſatus Pontifici improbanti factum Galliæ, qui Legatos Hollandos admiſiſſet, reſpondiſſe

fertur: Et tu Sancte Pater Legatos Perſiæ excepiſti, inuuens quædam adiaphora eſſe, quæ non pertinent ad Religionem. Secundò. Si contra alios Infideles, vel Acatholicos juſto Bello coercendos. Hinc Sturmius in libro de adminiſtratione Belli Turcici parte tertia Cæſari Catholico ſuadet, ut perpetuum fædus habeat cum Moſcho, & Perſarum Rege contra Solymanum. Tertiò. Si etiam forent contra Catholicos, modo circumſtantiæ excludantur, quæ rei Catholicæ nocere poſſint. Reiffenſtuel affert exemplum: Si quis Acatholicos contra alium Catholicum Principem, injuſte illos aggredientem, præciſe juvaret ad hoc, ut ab injuſta aggreſſione defenſi, in ſuis bonis per validam pacem innoxii conſerventur; non vero ut nova bona, Catholicis adempta, acquirant ſibi cum damno Religionis. Item ſi Princeps Catholicus in Bello juſto Acatholicorum copias ex fædere acciperet in modica quantitate, ut ſuo exercitu, longe illas excedente, diſciplinam ſervare poſſet, ac proinde cavere, ne quod ſcandalum fieret, neve Catholicis in eo, quod attinet ad Religionem, damnum aliquod inferretur. Quartò. Si adeſſent conditiones Eccleſiæ utiles; exempli cauſa, ſi Rex Galliæ in Bello juſto juvaret Anglos contra Hollandos, ea conditione, ut Angli in Hibernia admittant iterum Sacerdotes Catholicos, iiſque has, vel illas Eccleſias reſtituant. Quintò. Si ad avertendum Eccleſiæ Catholicæ majus malum hoc fædus eſſet neceſſarium: exempli cauſa, ſi quis Monarcha integrum Regnum Acatholicis cedere cogeretur, niſi in aliqua Urbe Religionis Acatholicæ exercitium permitteret.

Probatur hæc ſententia primò ratione. Fædera cum infidelibus, aliiſque Eccleſiæ hoſtibus inita, ſunt conventiones per ſe, & ex natura non illicitæ, ſed tan-

tum

tum ratione periculi, damni, vel ſcandali plerumque connexi, & in Eccleſiam, Religionemque Catholicam redundantis. Ergò ſi iſta non adeſſe, nec adfutura, moralitèr certum ſit, vitioſa non fient præciſe per Infideles, alioſve Acatholicos, ut pote qui non ignorent ea Jura, quæ fluunt ex lege Naturæ, vel Gentium.

Probatur Secundo Auctoritate. In Teſtamento veteri legimus, quod Abraham fædus percuſſerit cum Aner, & Eſchol Gentilibus cap. 14. Salomon cum Hiram Ethnico Rege lib. 3. Regum cap. his verbis. *Dedit quoque Dominus Sapientiam Salomoni, ſicut loquutus eſt ei, & erat pax inter Hiram, & Salomonem, & percuſſerunt fœdus.* Vulgata vero Hebraic. ſic: וַיִּתֵּן חָכְמָה לִשְׁלֹמֹה כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר לוֹ וַיְהִי שָׁלוֹם בֵּין חִירָם וּבֵין שְׁלֹמֹה וַיִּכְרְתוּ בְּרִית שְׁנֵיהֶם.

Objiciunt Primo. In Sacris Litteris occurunt fœdera Fidelium cum Infidelibus contra fideles inita, quin reprobentur. Quod patet ex fœdere Acaz Regis Juda, in auxilium vocantis Regem Aſſyriorum Teglat Phalaſſar contra Regem Syriæ, & Iſrael: Item ex fœdere Davidis, a Saule ad Achim Regem Philiſtæorum tranſeuntis, Lib. 1. Reg. cap. 27.

Reſpondeo Primo. Illa fœdera nuſquam probari in Sacris Litteris. Secundo. Reprobari poſitive colligimus ex loco citato: *Non fecit Achaz, quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui.* Vulgata verò Hebraica ſic: וַיַּעַשׂ אָחָז הַיָּרֹעַ בְּעֵינֵי יְיָ אֱלֹהָיו: Davidis autem transfugium ad Achim Regem non fuit fœderis contrahendi cauſa, ſed aſyli quærendi. Davidis verba hæc ſunt loco citato *Nonne melius eſt, ut fugiam, & ſalver in terra Philiſtinorum, ut deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſrael? Ergo fugiam manus ejus.* Et Hebraic. Vulg. אֵין לִי טוֹב כִּי הִמָּלֵט אִמָּלֵט אֶל אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים וְנוֹאַשׁ מִמֶּנִּי שָׁאוּל לְבַקְשֵׁנִי עוֹד בְּכָל גְּבוּל יִשְׂרָאֵל: Neque pugnavit contra populum Iſrael,

ſed

ſed ſimulando ejuſmodi pugnam perſecutus eſt alios Infideles, nempe Amalecitas; ut merito ſe ſuſpectum reddiderit Philiſtæis, nec ad prælium contra Saulem admiſſus ſit.

Reponunt. Si ejuſmodi fœdera nuſquam probantur in Sacris Litteris, peccaſſet S. Leo Magnus (hoc eum titulo ornavit Benedictus XIV.) ineundo fœdus cum Hunnis: item peccaſſet S. Gregorius Magnus contrahendo fœdera cum Longobardis. Hoc autem ſuſpicandum non eſt de Sanctiſſimis viris.

Reſpondeo. S. Leonem, & S. Gregorium non tam fœdera iniiſſe cum barbaris Gentibus, quam pacta quædam tutelaria, ad avertenda majora Fidelium mala, & ſarta tecta Eccleſiæ bona conſervanda.

Objiciunt Secundo. Scandalum Eccleſiæ Catholicæ non eſt intentum a Catholico Principe in fœdere ineundo, ſed utilitas & bonum Reipublicæ. Ergo id Eccleſiæ hoſtibus erit imputandum, ſi forte contingat.

Reſpondeo. Princeps Catholicus id intenderet ſaltem indirecte, propterea quia non per accidens, ſed per ſe & ordinarie ſcandalum ac detrimentum Eccleſiæ hujuſmodi fœdera conſequatur.

Objiciunt Tertio. Licitum eſt Jure Naturæ vim vi repellere, etiam Ethnico auxilium ferente, ſi Chriſtianus aggreſſor vim injuſtam tentaret: Ergo etiam Principi licet fœdus inire.

Reſpondeo. Si fœdus cum infideli poſſit eſſe legitimum medium ad ſua tuenda, hoc eſt ſine damno Religionis Catholicæ, proculdubio licebit. Sed ordinarie id non contingit. Dico ergo licitum eſſe vim vi repellere, non indiſtincte, ſed legitimis mediis. Secus enim poſſet aliquis Magos, aut etiam Dæmones in auxilium vocare.

Reponunt. Ergo Princeps Catholicus quamquam a Ca-

Catholico Principe injuſte læſus, nec aliter potens tueri ſua, vel amiſſa recuperare, niſi per fædus cum hoſte Eccleſiæ, Imperium amittere cogeretur. Hoc autem eſt nimis difficile, & non ferendum, cum Catholicos Principes infidelibus reddat deteriores; nec eſt conſultum, cum viribus debiliores exponat rapinis potentiorum.

Reſpondeo. Caſum hunc eſſe extraordinarium, de Catholico Principe non ſuſpicabilem; qui ſi contingeret, illud eſſe omnino tenendum: *Sic tranſeamus per temporalia, ut non amittamus æterna.* Quare nego ſuppoſitum, quod non ſuppeteret medium licitum per tranſactiones amicabiles, compromiſſiones in Reges arbitros, & alia hujuſmodi, ad hoc ut Principis Catholici non fieret conditio deterior, quam Infidelium. Cæterum inconſultum eſſe non poteſt, quod in conſultationem venire nequit prudenter, quia non ſuſpicabile.

DISPUTATIO IV.

De Jure Pacis, ejuſque natura & proprietatibus.

CAPUT PRIMUM.

De natura, ſubjecto, & objecto Pacis.

PAx, ita dicta a pactione, in ſenſu latiſſimo eſt tranquillitas ordinis; in latiore ſignificat generalem quamdam concordiam ortam ex naturali inter homines cognatione, cujus intuitu homo homini, & gens genti obſtringitur ad communia humanitatis officia, inter quæ primum eſt, amicum omnibus eſſe,

se, inimicum nulli, ac de cætero ab omni violentia abstinere. In sensu strictiore, & relative ad bellum, significat novam amicitiam inter eos, qui hostiliter invicem commissi erant, postliminio reductam; vel est transactio publica de bello in totum tollendo inter eos, qui hostes erant, legitime concluſa.

Pax accepta in sensu strictiore dividi solet in publicam, & privatam; in perpetuam, & temporalem continentem inducias; in universalem, & particularem. Pax accepta strictissime dividitur ratione materiæ in profanam, & Religiosam.

Pax accepta in latiore significatione est a Jure Naturæ, a qua exigitur, ut conformis amori, cuivis naturaliter debito, & ad felicitatem naturæ rationali propriam, absolute necessario. Pax tamen in sensu strictiore, seu relative ad bellum, originem habet a Jure Gentium. Ratio est, quia sicut bellum quoad effectus præcipuos descendit a Jure Gentium, ita & Pax quoad sistendum hostilem conatum, abolendas cædes, captivitatem vitandam, & alia hujusmodi. Quare qui pacis conditiones infringunt, Jus Gentium violare dicuntur.

Subjectum, seu personæ pacem contrahentes sunt Imperantes summi, utpote potestate præditi independente. Excipitur primo, si jus Regis ætatis immaturitate sit impedimentum, aut amentia, aut aliis morbis, qui cum Regni administratione componi non possint. Nam talis non esset capax obligationis privatæ adeoque nec publicæ. Secundo. Si Rex per captivitatem amitteret Regnum: secus vero si non amitteret. Nam in hoc casu maneret Rex, haberetque jus ad necessaria media pro liberatione sui, interque primo loco esse solent sanciendæ pacis conditiones. Tertio excipitur, si Rex foret exul, viveretque obnoxius

ser-

fervituti. Quarto ſi quis Rege inferior per viam privilegii, præſcriptionis, aut conceſſionis acquiſiviſſet jus belli, atque adeo pacis ineundæ.

Jus contrahendæ pacis eſt delegabile: quin etiam ſæpe expedit, ut conſtat in Republica Democratica vel Ariſtocratica, ubi Optimates aut Cives in eumdem locum omnes convenire non poſſunt ſine magna difficultate. Legati ergo peculiari mandato inſtrui ſolent, ratihabitione Principibus reſervata.

Objectum pacis in genere ſunt capita, ſeu articuli, utrinque conventi, æquitati & honeſtati conſentanei, claris verbis expreſſi, idiomatis utrinque noti, ſubſcripti & ſubſignati.

Objectum pacis in ſpecie ſunt primo articuli pertinentes ad amniſtiam, hoc eſt perpetuam rerum hoſtiliter geſtarum oblivionem: ſecus enim pax firma eſſe non poteſt.

Effectus amniſtiæ ſunt publica quies, vindicatio bonorum, commerciorum libertas, & alii: non tamen ſeſe extendunt ad ea, quæ ante bellum, & extra belli cauſas acciderant.

Secundo. Sunt capita, quæ reſpiciunt reſtitutionem perſonarum, rerum, jurium, dignitatum, bonorum durante bello occupatorum. Reſtitutioni tamen probabilius non ſubjacent res amplius non extantes, aut legitimo titulo alienatæ. Idem ſentiendum de fructibus, ac redditibus, qui ex rebus, aut juribus interceptis jam percepti ſunt.

Inde conſequitur, quod in caſu pacis, aliter non obtinendæ, a Principe cedi poſſint ſubditorum bona, etiam citra eorum conſenſum, ob dominium eminens, & publicam tranquillitatem, utilitati privatæ antepONendam.

Tertio. Sunt articuli de ſatisfactione, & compen-

ſatione pro impenſis, damniſque in bello illatis. Illata tamen damna a Principe remitti poſſunt ob dominium eminens, ſi pax aliter componi non poſſit. Communitati tamen nulla eſt obligatio compenſandi damna privatis illata durante bello, ſi ea damna nullum Reipublicæ commodum ſit conſecutum. Nam æquius eſt privatos damnum, ut alium caſum fortuitum, ſuſtinere.

Probabilius aliter eſt ſentiendum, ſi ex iis damnis partum eſſet Reipublicæ aliquid commodi. Hic enim locum habet lex Rhodia, quæ ſtatuit, *æquiſſimum eſſe, ut commune detrimentum fiat, eorum qui propter amiſſas res aliorum conſecuti ſunt, ut ſuas ſalvas haberent*. Quam legem in toto Orbe Romano, & ab omnibus populis, propter ſummam æquitatem, receptam eſſe, teſtatur Gudelinus lib. 1. & 2. §. ad leg. Rhodiam de Jactu.

CAPUT II.

De effectibus pacis, & ei contrariis.

EFfectus primarius eſt obligatio ſervandi pacta, etiam cum bellatore injuſto, quia obligatio non ex juſtitia belli, ſed ex natura pacti oritur. Hæc primario ſtringit obligantes, ſecundario ſubditos, utpote fide publica innexos, & ejuſmodi pactis, veluti per legem, adſtrictos. Imo per extenſionem legitimam hæc obligatio etiam tranſit ad ſucceſſores, Principibus non tam nomine proprio, quam Reipublicæ paciſcentibus.

Alter effectus eſt executio, quæ paciſcentes obligat. Executioni ſubjacent res cedendæ, aut reſtituendæ, in juribus, bonis mobilibus, vel terris. Item demolitiones monumentorum, ab ductiones præſidiorum, tra-

traditiones captivorum, & cætera, ſalvo ſemper jure tertii.

Paci in genere contraria ſunt omnia, quæ vel pacem violant, vel novam belli cauſam ſuppeditant. In ſpecie primo ſi inferantur arma ſine nova cauſa, niſi id contingeret tantum ab aliquibus ſubditis ſine culpa Principis paciſcentis. Secundo. Si agatur contra id, quod in pace diſerte eſt ſtipulatum, ſi ſit in re majoris momenti, & niſi impoſſibilitas excuſet, quæ tamen a debito non exſolvit. Tertio. Si agatur contra id, quod ex pacis natura eſt neceſſario intelligendum, violando, exempli gratia, amicitiæ legem in pace expreſſam per atroces minas, per extructas in finibus arces, conſcriptos milites &c. etſi dubia facta in meliorem partem ſint exponenda. Quarto. Si nova fiat injuria, & belli cauſa ponatur. Quare violans pacem incurrit pænam violanti determinatam, toties quoties violaret. Quinto. Inter ea, quæ paci contratia ſunt, eſt etiam dolus ſubſtantialis, quia deforet conſenſus; non tamen accidentalis, quia non deficeret conſenſus quoad ſubſtantiam. Deceptus tamen obligatum habet decipientem ad præſtandam indemnitatem, quia jus habuit ut ne deciperetur. Sexto. Pax bello juſto, ſeu per gravem metum, ſed tamen juſtum, extorta, tam in foro interno quam externo, eſt valida. Idque colligitur ex paritate cum contractibus aliis. Idem ſentiendum in prudenti dubio, an juſtum ſit bellum; quia cauſa dubia eſt inſufficiens ad bellum, reſciſſa pace, denuo inſtaurandum. Septimo. Pax bello, ſeu vi, ac metu injuſto extorta non obligat. Qui ergo vim patitur, non poteſt ſalva conſcientia ab inferente injuſtum metum urgeri ad ſervandas conditiones impoſitas. Nam injuria, pacto intrinſeca, auferri non poteſt, niſi remiſſione, vel juris re-

nuntiatione per novum, eumque liberum consensum.

CAPUT III.

De accessoriis Pacis.

ACcessoria Pacis primo. Sunt obsides, per quos intelliguntur personæ e numero Civium, alteri parti in securitatem fidei publicæ eo fine traditæ, ut quamdiu fides liberata non fuerit, ibi persistant; vel in casu fractæ fidei, arbitrio partis læsæ, quantum Jus Naturæ & Gentium permittit, relicti habeantur. In non subditis requiritur consensus liber, obsides ut esse velint. Fuga per se videtur obsidibus illicita, quia saltem implicite data fides est; & alias frustraretur finis, puta certitudo de credito. Non tamen in casu fractæ fidei vel servitute, vel morte multari possunt, quia eos civitas hac conditione oppignorare non potuit, cum civitati nulla sit in innocentes potestas, præcipue ut queat in mortem tradere. Quare nullum jus potest colligi ex factis contrariis. Cæterum æquitati est consonum, ut in longum extrahente se mora, per alios subleventur; ut exsoluta fide illico restituantur; & si quis loco personæ tantummodo datus sit, hac mortua liberetur. Secundo. Inter materias paci annexas sunt induciæ, quibus indicatur conventio, per quam, manente bello, hostiles actus intermittuntur ad certum tempus. Aliæ dicuntur breves, quia dierum tantum, aut mensium; aliæ longæ, quæ, sublato utrinque appartu bellico, in plures annos porriguntur. Illas concedendi potestas est etiam penes duces, quia administrationi militari hæc quietis imago inesse creditur: has vero pangendi jus est penes

Prin-

Principes Summos. Pacis enim naturam participant. Induciarum effectus est obligatio stricta etiam respectu subditorum. Quoad temporis initium tamen, & finem est interpretationis latioris; quia est in favorem publicum, cum ex utraque parte parcatur sanguini humano. Alter effectus est cessatio ab omni hostili actu, sive in personas, sive in res: etsi hæc in induciis brevioribus plerumque restricta sit ad limites, & expressiones factæ conventionis, ut propterea, saltem regulariter loquendo, non includat cessationem illimitatam ab omni prorsus hostilitate, neque vetet, quin submissa intercipiantur auxilia, vel occupentur loca derelicta: & sic de aliis. Cæterum Induciæ cessant vel lapsu termini, vel mutua partium consensione, vel alterutrius injuria; ubi parti innocenti liberum est vel pœnam exigere, vel induciarum continuationem petere, vel ad arma redire. Tertio. Est arbitrium, seu compromissum, quo bellantes communi consensu unum, vel plures arbitros eligunt ad controversias belli componendas. Si componant suasive, sunt mediatores; si componant decisive, sunt proprie arbitri. Horum est judicare secundum leges, si sint electi ut judices; si ut meri causæ decisores, pronuntiare ex æquitate & humanitate. Post dictam sententiam appellatio compromittentibus est interclusa, ne fiat processus in infinitum. Excipitur tamen casus apertæ fraudis. Et si duo arbitri inter se dissentirent, ibi recursus haberi potest ad tertium.

Quarto loco est deditio, qua pars bello fracta sese hostis arbitrio permittit, vel absolute absque reservatione, vel conditionate, hoc est, adjectis quibusdam capitibus.

Absoluta deditio victori tribuit jus universale quoad personas, res, & bona; imo spectato Gentium Jure

per

permiſſivo, & quoad forum externum, etiam quoad vitam & libertatem; etſi, ſublata inter Chriſtianos ſervitute, naturalis æquitas clementiam humanitatemque expoſcat. Deditio conditionata ſtringitur ad pacta, quibus fideliter debet victor inhærere.

Nonulli denique inter pacis accеſſoria numerant ſortem, qua, tamquam fortuito medio, controverſiæ finiuntur. Hujus uſus ſatis eſt antiquatus, nec promiſcue licitus; quamquam, deficientibus aliis mediis, in cauſa nimis ancipiti præſtaret fortaſſe rem incertæ ſorti committere, quàm certa Belli diſcrimina ſubire.

Huc etiam revocant ſingulare certamen, quo duo, vel plures utrinque congrediuntur ea lege, ut victoria ſit penes illam partem, cujus ſelecti pugiles extitere victores. Hoc Jure Gentium permiſſum eſſe probatur plurimis exemplis.

Abſolute licitum ſuadet exemplum Davidis, qui cum Goliath Philiſtæo congreſſus eſt, & aliorum Principum Chriſtianorum. Favet etiam ratio, ut nimirum parcatur nimio ſanguini. Ubi tamen excipienda Religionis eſt cauſa, pro cujus defenſione cuncta humanæ potentiæ inſtrumenta adhiberi, omnes vires exeri, ſanguis & vita conſecrari debent.

DISPU-

DISPUTATIO V.

De mutua hominum Caritate.

CAPUT UNICUM.

TEnemur legis naturalis præcepto diligere proximum, ſicut nos ipſos; quia hoc dictat ratio naturalis, & quia nihil eſt magis neceſſarium ad generis humani conſervationem, ad pacem, & juſtitiam tuendam. Si tenemur diligere, a fortiori tenemur proximum non lædere: & quidem non lædere proximum in re aliqua, ipſo invito; quod ſpectat ad juſtitiam: ſed neque ipſo volente, ut in ſpiritualibus, quod pertinet ad caritatem.

Præceptum naturale diligendi proximum obligat ad actus internos, quando illi neceſſarii ſunt; vel ad opus externum, & beneficium proximo præſtandum, vel etam ad vitandum odium, & offenſionem proximi. Quare præceptum hoc obligabit, quando occurret neceſſitas miſericordiæ, ad quam ſpectat, tum affectu, tum etiam effectu ſublevare pro viribus miſeriam proximi, ſeu malum ipſius involuntarium, ſive in ordine ad animam, ſive in ordine ad corpus. Ad animam pertinet fraterna correctio, quam cognovit Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 3. quæ eſt adhibenda, ubi de crimine ſatis conſtet, ac ſit ſpes fructus & emendationis; Ne ſcilicet correctio ſit temeraria, & rurſus actus ſit otioſus. Obligamur autem, quando proximus indiget noſtra correctione, & ſit opportunitas illud corrigendi.

Ad corpus pertinet naturale præceptum Eleemoſynæ,

næ, quod respicit præcipua pars caritatis proximi. Hoc vero obligat tempore necessitatis. Atque huc refertur sepelire mortuos, licet cadaver non sit capax miseriæ; sed tamen homo, cujus est corpus illud, manet in memoriis hominum, & corpus habet ordinem ad animam, cui gratum est & illud officium; quod ipsi etiam prodesse potest propter suffragia, quæ in locis Sacris fiunt.

Ex lege naturali jubemur non odisse homines etiam improbos. Isti enim proximi sunt: & proximorum odium est intrinsece malum, utpote odium rei bonæ, & per se amabilis.

Non est contra legem naturæ optare proximum malum temporale propter bonum finem, nimirum ad ejus resipiscentiam; vel ad vitandum malum, si nimirum alia via provideri non possit.

Ex lege Naturæ tenemur diligere inimicos. Tum quia inimicus est proximus, respectu cujus prævalet illud: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Tum quia vindictam sumere ab inimicis propria auctoritate est contra rationem naturalem. Ergò & appetitus vindictæ, cui contrarius est hic amor. Tandem hic amor est maxime necessarius ad conservandam justitiam, & pacem inter homines. Patet etiam ex præcepto expresso in Lege Evangelica, ubi nulla de novo fuere imposita præcepta moralia positiva præter ea, quæ sunt Sacramentorum. Vocat autem Christus suum hoc præceptum, ut explicet maximam necessitatem & obligationem: & ut ostendat, falso Pharisæos Legi veteri, quæ Levitici cap. 19. hoc tantum habet: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, ea verba addidisse: *odio habebis inimicum tuum*. Quam sententiam ex Pharisæis in vulgus profectam Christus rejecit.

Ex lege Naturæ tenemur inimicis amoris signa præbere

bere eo tempore ac modo, quo nos genere ſolemus circa alios homines. Cæterum in iis officiis habenda eſt ratio circumſtantiarum, unde indicari poſſit internum odium, ex quo aliorum offenſio oriatur.

Reſpectu omnium tenemur Lege Natutæ non mentiri. Mendacium enim eſt valde diſſonum naturæ rationali, quia evertit ordinem ejus, & eſt contra finem & neceſſitatem verborum, ſeu locutionis rationalis.

Ad hoc enim eſt a natura inſtitutum verbum externum, ut per illud ſignificemus internum & ita poſſit eſſe inter rationales naturas ſocietas & fidelitas, ſeu fiducia. Quare ſequitur, numquam poſſe honeſtari propter bonum finem, ſi retineat rationem mendacii: nec faciendum eſt malum, ut inde eveniat bonum, teſte Paulo ad Rom. cap. 3.

Sine cauſa legitima uti amphibologia eſt contra virtutem veritatis. Quoties enim neceſſitas non requirit amphibologiam, debita eſt noſtro ſermoni ſimplicitas in ſenſu uſitato, & intellecto ab audiente: & tunc defectus ſimplicitatis in illo ſenſu eſt vitioſus & contrarius veritati. Si datur neceſſitas, tunc ille defectus ſimplicis & claræ expreſſionis poteſt ſuppleri ex adjunctis & circumſtantiis locutionem complentibus: & ſic non eſt vitioſus, nec mendacium, cum detur verus ſenſus accommodatus locutioni.

Aſſertio alicujus de re facienda, vel de beneficio præſtando includit intrinſece ex vi veritatis tale propoſitum, quale requirit illud opus, quod præſtandum, ſeu efficiendum aſſeritur: reſpectu vero futuri operis non requirit veritas hujuſmodi aſſertionis, ut poſtea illud opus omnino executioni mandetur. Veritas enim aſſertionis non exigit perſeverantiam in tali propoſito, ut patet; quia hæc non aſſeritur. Si verò

næ, quod respicit præcipua pars caritatis proximi. Hoc vero obligat tempore necessitatis. Atque huc refertur sepelire mortuos, licet cadaver non sit capax miseriæ; sed tamen homo, cujus est corpus illud, manet in memoriis hominum, & corpus habet ordinem ad animam, cui gratum est & illud officium; quod ipsi etiam prodesse potest propter suffragia, quæ in locis Sacris fiunt.

Ex lege naturali jubemur non odisse homines etiam improbos. Isti enim proximi sunt: & proximorum odium est intrinsece malum, utpote odium rei bonæ, & per se amabilis.

Non est contra legem naturæ optare proximum malum temporale propter bonum finem, nimirum ad ejus resipiscentiam; vel ad vitandum malum, si nimirum alia via provideri non possit.

Ex lege Naturæ tenemur diligere inimicos. Tum quia inimicus est proximus, respectu cujus prævalet illud: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Tum quia vindictam sumere ab inimicis propria auctoritate est contra rationem naturalem. Ergò & appetitus vindictæ, cui contrarius est hic amor. Tandem hic amor est maxime necessarius ad conservandam justitiam, & pacem inter homines. Patet etiam ex præcepto expresso in Lege Evangelica, ubi nulla de novo fuere imposita præcepta moralia positiva præter ea, quæ sunt Sacramentorum. Vocat autem Christus suum hoc præceptum, ut explicet maximam necessitatem & obligationem: & ut ostendat, falso Pharisæos Legi veteri, quæ Levitici cap. 19. hoc tantum habet: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, ea verba addidisse: *odio habebis inimicum tuum*. Quam sententiam ex Pharisæis in vulgus profectam Christus rejecit.

Ex lege Naturæ tenemur inimicis amoris signa præbere

bere eo tempore ac modo, quo nos genere ſolemus circa alios homines. Cæterum in iis officiis habenda eſt ratio circumſtantiarum, unde indicari poſſit internum odium, ex quo aliorum offenſio oriatur.

Reſpectu omnium tenemur Lege Natutæ non mentiri. Mendacium enim eſt valde diſſonum naturæ rationali, quia evertit ordinem ejus, & eſt contra finem & neceſſitatem verborum, ſeu locutionis rationalis.

Ad hoc enim eſt a natura inſtitutum verbum externum, ut per illud ſignificemus internum & ita poſſit eſſe inter rationales naturas ſocietas & fidelitas, ſeu fiducia. Quare ſequitur, numquam poſſe honeſtari propter bonum finem, ſi retineat rationem mendacii: nec faciendum eſt malum, ut inde eveniat bonum, teſte Paulo ad Rom. cap. 3.

Sine cauſa legitima uti amphibologia eſt contra virtutem veritatis. Quoties enim neceſſitas non requirit amphibologiam, debita eſt noſtro ſermoni ſimplicitas in ſenſu uſitato, & intellecto ab audiente: & tunc defectus ſimplicitatis in illo ſenſu eſt vitioſus & contrarius veritati. Si datur neceſſitas, tunc ille defectus ſimplicis & claræ expreſſionis poteſt ſuppleri ex adjunctis & circumſtantiis locutionem complentibus: & ſic non eſt vitioſus, nec mendacium, cum detur verus ſenſus accommodatus locutioni.

Aſſertio alicujus de re facienda, vel de beneficio præſtando includit intrinſece ex vi veritatis tale propoſitum, quale requirit illud opus, quod præſtandum, ſeu efficiendum aſſeritur: reſpectu vero futuri operis non requirit veritas hujuſmodi aſſertionis, ut poſtea illud opus omnino executioni mandetur. Veritas enim aſſertionis non exigit perſeverantiam in tali propoſito, ut patet; quia hæc non aſſeritur. Si verò

assertioni adjungitur promissio ex voluntate se obligandi, nascitur naturale debitum efficiendi veram assertionem de futuro, scilicet præstandi id quod promittitur. Obligatio hæc oritur ex fidelitate. Infidelitas autem maxime repugnat rationi, & convictui humano: & pro materiæ, ac personarum gravitate potest moraliter reputari sufficiens ad violandam charitatem. Si promissio inducit obligationem justitiæ donantem alteri jus, tenetur homo ratione justitiæ naturalis complere promissum. Hoc utique intervenit in commerciis, contractibus, & cæteris, ubi voluntas hominum non sistit in mera obligatione efficiendi veram assertionem de futuro, sed præterea transit in debitum justitiæ. Obligatio ex justitia inducit debitum restitutionis, si violari contingat. Rursus fundat jus in conscientia vindicandi sibi propria auctoritate rem, si aliunde in judicio repeti non possit. Ac propterea jus transit etiam ad hæredes.

DISPUTATIO ULTIMA.

De mutuo Officiorum concursu.

CAPUT ULTIMUM.

IN omnibus officiis Deus est semper super omnia diligendus. Idem dicas de Christo Domino, qui est Deus homo, & ideo magis, quam cæteri, diligendus. Quare in concursu officiorum ex Lege Naræ debitorum Deo cum aliis officiis, illa sunt istis præferenda ex recto ordine rationis. Quod patet in qualibet culpa, qua creatura præfertur Deo. Rursus officia majoris obligationis erga Deum ex eodem

ordi-

ordine præferri debent officiis minoris obligationis. Eadem est ratio de præceptis Juris Naturæ respectu præceptorum positivorum Ecclesiæ.

Possunt etiam concurrere officia hominis erga seipsum officiis erga proximum. Quoniam vero officia hæc respicere possunt sive bona spiritualia, sive bona temporalia; idcirco in triplici concursu considerari potest homo. Primò, quando concurrunt officia de bono spirituali sui ipsius cum officiis de bono spirituali proximi. Secundo, de bono temporali proprio cum bono spirituali proximi. Tertiò, de bono temporali proprio cum bono temporali proximi. Possunt etiam concurrere officia erga unum proximum cum officiis erga alium: & hic sui pro singulis dantur Canones juxta Legem Naturæ.

In bonis spiritualibus simpliciter tenetur homo se magis diligere, & propriis ejusmodi necessitatibus subvenire, quam aliorum; quia potius debet homo sibi velle beatitudinem æternam, quam aliis: & potius debet velle a se Deum amari, quam ab aliis, justa rectum ordinem Caritatis. Nemo tenetur, nec potest aliis subvenire cum detrimento sui spirituali, quod culpam includit; quia culpa includit offensam Dei, quæ vitanda est plus quam omnia mala creaturarum. Nemo tenetur, nec potest aliis subvenire cum detrimento sui spirituali, quod minuat caritatem, vel impediat augmentum ipsius, & meritorum; quia Caritas maximè inclinat ad sui perfectionem. Ergò non ad id, quod hanc perfectionem impedit. Si concurrit detrimentum spirituale proprium, mere extrinsecum & accidentale, cum salute aliorum, solet eligi illud potius ad hanc obtinendam. Sic Moyses egit Exod. 32. *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

Et Paulus ad Rom. cap. 8. *Optabam ego esse anathema a Christo pro fratribus meis*. Ita exponunt Patres ac præcipue Chrysostomus Homil. 2. & 3. de laudibus Pauli.

Simpliciter & absolute tenetur homo magis diligere proximum in spiritualibus, quam se in corporalibus; quia secundum rectam rationem est amabilior anima proximi, quam corpus proprium. Tenetur quoque subvenire proximo existenti in extrema necessitate spirituali, etiam cum evidenti periculo mortis; quia hic ordo caritatis cadit sub præceptum. Ergo maxime in extrema necessitate. Sic esset in parvulo moriente, qui esset etiam cum periculo mortis baptizandus. Extra casum vero necessitatis extremæ spiritualis, non obligat caritas per se ad subveniendum privato proximo cum periculo morali mortis corporis; quia tunc non est maxima necessitas: Ergo nec obligatio perdendi summum bonum corporale, cujusmodi est vita. Si autem sit bonum corporale commune, exempli causa divitiæ, sufficit gravis necessitas spiritualis, ut illud periculo exponatur, exempli causa ob grave periculum Religionis Christianæ. Ut si sciam ab aliquibus hæresim esse prædicandam, teneor me illis opponere, etiam cum periculo rei domesticæ: idque ratione caritatis: Episcopus vero, & Parochus ratione officii & justitiæ ex tacita conventione tenetur etiam in gravi necessitate cuilibet de suo grege. In gravi necessitate spirituali proximi obligat caritas cum aliquo etiam damno temporali proprio; quia gravis necessitas spiritualis proximi est præferenda ex ordine caritatis alicui damno proprio temporali; Extra casum vero talis necessitatis non est gravis obligatio. Deinde præcepta affirmativa solum obligant in casu necessitatis. Hinc licet sit laudabile subvenire proximo

in

in talibus circumſtantiis, non eſt grave præceptum extra neceſſitatem. Gravis autem neceſſitas prudenter eſt, & cum proportione judicanda.

In temporalibus tenetur homo potius communi bono, quam ſibi ſubvenire. Nam commune bonum præferendum eſt privato, cum ſit univerſalius; & quilibet eſt pars boni communis: pars autem debet præferre bonum totius bono proprio.

In quacumque corporali neceſſitate poteſt quilibet licite ſibi potius, quàm alteri privato ſubvenire. In pari neceſſitate nemo tenetur diligere proximum plus quam ſe. Contra vero ſi proximus ſit in neceſſitate vitæ, egò vero in minori neceſſitate; vel ſi proximus ſit in gravi neceſſitate, non item ego. Multo magis ſi comparatur gravis neceſſitas vitæ proximi cum bonis ſuperfluis, vel etiam neceſſariis ad ſtatum. Hæc enim omnia minus ſunt diligenda, quam vita proximi.

Non tenetur homo in neceſſitate vitæ, etiam extrema, ſibi potius ſemper ſubvenire, quam proximo alicui, puta amico; quia licet nemo poſſit ſe occidere, tamen non tenetur ſemper omni medio & ratione ſervare vitam, etiam in concurſu ſibi cariſſimi: multo magis in concurſu Patris.

Poteſt aliquis in extrema neceſſitate negligere ſe, ut alteri etiam extraneo in ſimili neceſſitate ſubveniat. Hoc autem, ſpectata dumtaxat caritate. Si alia vero adſit obligatio juſtitiæ vel pietatis, ut in patrefamilias, qui debet curare ſalutem ſuam, ut ex juſtitia ac pietate filiis ſuis attendere queat, tunc non poteſt extraneo ſubvenire. Generaliter autem poteſt aliquis amittere vitam ob finem honeſtum: & conſervatio vitæ proximi eſt bonus finis, in eoque elucet honeſtas caritatis, fortitudinis, aut alterius virtutis.

Cœteris paribus, non eſt dubium, quin ſecundum ordi-

ordinem caritatis melius ſit in extrema neceſſitate ſubvenire ſibi, quam aliis. Sic melius eſt non dare alteri extreme indigenti id, quo ego etiam extreme indigeo: omittendo enim hoc medium neceſſarium cenſeor me ipſum occidere. Sic e duobus naufragis poſſet alter licite ſinere, ut ſocius tabulam acciperet; non poſſet autem dare illam ſocio, ſi jam ipſe tabulæ inſediſſet. Hoc vero, ſi cœtera ſint paria.

Præceptum etiam naturale caritatis, & miſericordiæ obligat ad ſervandum ordinem in dilectione, vel in ſubventione proximorum. Sicut enim ſunt gradus diverſi conditionum & conjunctionum in proximis, ita rectus ordo poſcit ſervandam legem in caritate & miſericordia. Cæteris paribus, tenemur præferre eos, qui nobis conjuncti ſunt, alienis. Inter ſanguine conjunctos ſervandus eſt idem ordo; Inter conſanguineos patter, inter amicos fidelior & antiquior eſt præferendus. In concurſu Patris, & Filii in extrema neceſſitate præferendus eſt Pater. Gravior eſt enim impietas Patrem interficere, quam Filium. In concurſu Patris & Matris, præferendus eſt Pater, cui major debetur honor quam Matri: Fortaſſe tamen hic ordo non obligat ſub gravi. Rurſus præferendus eſt Pater conjugi. Item præferendus Pater improbus cuilibet alteri etiam ſanctiori, tum quoad temporalem neceſſitatem, tum quoad ſpiritualem. In concurſu Benefactoris, & ejus, cui nos beneficium contulimus, præferendus eſt benefactor, quia eſt amor magis debitus. Hic etiam ordo ſervandus eſt inter amicum & inimicum, ut amicus inimico præferatur, cæteris paribus. In diverſis conjunctionum, ſeu ſocietatum generibus, præferendi ſunt addicti illi ſocietati. Sic in rebus civilibus cives, in militaribus milites: nam reſpectu hujuſmodi ſocietatum conſurgit quædam obligatio ad particularia officia.

EPI-

EPILOGUS.

ATque hæc de officiis pertinentibus ad hominem, qua homo eſt, qua Chriſtianus eſt. Neque enim officia Juris Naturæ diverſa urgent hominem, diverſa urgent Chriſtianum: quando eamdem a Deo Auctore naturæ habent originem, eoſdemque homines, quicumque ii ſint, cujuſcumque ordinis, Religionis, ſtatus, modo homines ſint, obligant. Fides utique detexit plura *Naturalia* & *Moralia*, ut ait S. Ambroſius præfatione in Evangelium Lucæ, & aperte docuit etiam *rationalia*. Atque hoc Fidei beneficium non magis Chriſtianos, quam cæteros homines reſpicit, atque obligat: omnes enim Fides illuminat, hoc eſt, Deus vel remote vel proxime dat omnibus gratiam, qua veram Fidem inveniant & amplectantur. Quare Jus Naturæ ratione cognitum, & cognitum etiam Fide unum omnino eſt. Ratio etiam, & Fides quoad hæc officia, cum ab uno Divino Auctore procedant, non pugnant inter ſe, ſed, ut verbis utar Horatii de Arte Poetica,

. . . . . *alterius ſic*
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Poſcit autem opem ratio a Fide, ut ex dictis hactenus perſpicuum eſt. Quare cuilibet pleniſſimam cupienti Juris Naturalis ſcientiam tenere maxime erit enitendum, ut ſacrarum facultatum ſtudio, Sanctorum Patrum ſedula lectione, & Scripturarum humili meditatione, quæ ſunt ulteriora noſtrum omnium officia, queat dignoſcere. Quantum vero Fides ex Scripturis hauſta ad omne genus officiorum conferat, colligi

ligi poteſt ex verbis Gregorii XIII. in litteris Apoſtolicis ad Regem Catholicum datis, quæ Waltonius Anglus editor Bibliorum Polyglottorum in Præfatione appellat *aurea* & *veriſſima*; quibus operi finem facio: *Scripturarum beneficium permagnum eſt. Nam quod ad Theologiam attinet, quæ eſt ſumma Philoſophia, his libris omnia noſtræ Religionis, & Divinitatis Myſteria explicantur. Quod vero ad eam partem attinet, quæ Moralis nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur: quibus quidem duabus partibus omnis noſtræ ſalutis, & felicitatis ratio continetur; ut nihil eſſe poſſit horum librorum lectione dignius, nihil fructuoſius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori Doctrina, & Sapientia refertius.*

F I N I S.

INDEX

VERBORUM ET RERUM NOTABILIUM.

Numerus Paginam indicat.

A

ABraham & cœteri Patriarchæ legem naturalem in ſtatu integro conſervarunt. 27.

Acatholicorum error de Doctrina Juris Naturæ & Gentium ſine reſpectu ad fidem. 15. Eorum libri de Jure Naturæ periculoſi. 20. 21. Errores circa Hierarchiam ac juriſdictionem Eccleſiaſticam confutantur, eorumque rationes refelluntur. 126. uſque ad 136.

Actionum Moralium principia intrinſeca effectiva, intellectus & voluntas. 78. 79. impulſiva ſenſus internus, appetitus ſenſitivus. 82.

Actus humani a quo procedere debeant. 44. debent eſſe per ſe & intrinſece voluntarii. 60. honeſti vel turpes ante omne Dei voluntatem. 56. qui ſint imputabiles vel non. 86. 87. 88.

Adamus accepit a Deo poteſtatem legislativam. 23. Legem Naturalem & poſitivam. 24. primus in Chriſtum credidit. 35.

Affectus nec boni nec mali moraliter. 84.

Alexander VIII. damnavit ſententiam aſſerentem quod ignorantia invincibilis Juris Naturæ, ſi detur, operantem ex ipſa non excuſet a peccato formali. 21.

Amor erga Deum, erga ſeipſum, erga proximum principium fundamentale Juris Naturæ. 105. ſatisfit objectionibus. 106. 107. 108. utrum Heineccius recte dividat in amorem beneficentiæ, obedientiæ, devotionis, & amicitiæ. 105. 106.

Antediluviani homines habuerunt regiminis formam. 24. ſcientiam Theologicam. 25.

Angelicus Doctor quid ſentiat de obligatione jurisjurandi. 11.

Anima intime obligatur ad ſervanda quædam præcepta ſine revelatione. 18.

Animorum & morum varietas: cauſæ tum Phyſicæ, tum Morales. 85.

Appetitus ſenſitivus quid, quotuplex; ejus actus. 83. 84.

Ariſtoteles quam Philoſophiam docuerit, quid de illa ſenſerint poſteri. 2. 3. 4. ejus ſententia de felicitate. 36.

Auctor Catholicus erroneas Pufendorfii ſententias de ignorantia & de obligatione ex jurejurando

non repurgavit, Refellitur ex jure Canonico, & D. Thoma. 21. 22.

B

BArbeyracius contra SS. Patres Furens debacchatur. 9. ab ipso Buddæo reprehensus: a Remigio Cellier valide confutatus. 10. 11. contendit Jus Naturale citra divinas litteras posse solide demonstrari. 16.
Bellum quid sit. 165. Justum vel injustum, solemne vel minus solemne: offensivum vel defensivum 166. utrumque licitum. Quo jure. 166. 167. 168. Satisfit objectionibus usque 175. Cui competat Jus Belli. 175. 176. quibus conditionibus. *ibid.* An licitum sit ratione religionis. 177. An adversus infideles. 180. Paganos. 183. usque ad 190. Hæreticos. 191. usque ad 194. injustum e duplici titulo. 195. an justum possit esse ex utraque parte. 196. an ob negatum transitum militarem. 200. Effectus Belli. 205. respectu Hostium 206. quomodo & quid per bellum acquiratur. 208. cui cedant acquisita. 211. respectu subditorum. 214. Obligationes in bellantibus. Principe, militibus, 215. 216. 217.
Brocardicum male intellectum. 129.
Buddeus quid sentiat de Platonis & Aristotelis Philosophia. 3. de hujus Ethica. 4. Eos probat qui jurisprudentiam naturalem tradunt seorsum a lumine revelationis. 16. quod tamen præfert lumini rationis. 13. Scriptores nostros parvi facit. 9.
Bonum aliud Morale, aliud naturale; quid sint. 65. 66. Bonum appetibile quotuplex. 80. 81.

C

CAdavera Hostium sepeliri debent ex jure Gentium. 217.
Caini & Chami maledictionem: Seth & Sem benedictionem in posteros propagarunt. 26.
Calvinus non in omnibus arridet Barbeyracio. 11. Per Lutherum & Calvinum noluit Christus nova præcepta & leges promulgare. *ibid.*
Capti in bello justo cedunt in dominium victoris. 212.
Caritas hominum mutua ad quid obliget. 239.
Christus promissus fuit in veteri Testamento. 34. 35. Fides in ipsum ut Redemptorem necessaria ad salutem in veteri lege. *ibid.*
Christianus Thomasius quæ scripserit contra Doctores Catholicos. 8. contra SS. Patres & Ecclesiam quam dicit jacuisse usque ad tempora Lutheri. 11. Barbeyracum laudat contra Patres declamantem. *ibid.* Puffendorfium explicans pejorem reddit. 48. Impiæ & Horrendæ, quas propugnavit, propositiones. *ibid.* Inepte irridet divisionem Juris Naturæ in affirmativum & negativum. 93. Ejus axioma circa principium Juris Naturalis refellitur 95. 96. Ejusdem Systema de Ecclesia. 127. Absurda inde sequentia. 128.
Cicero quid de Philosophia senserit;

rit ; ejus opera de Morum Doctrina. 4. 5.
Coactio quid sit. 48. Voluntati non potest inferri etiam a Deo. *ibid.*
Concupiscentia quomodo minuat libertatem in actu voluntatis. 49. Auget intensive voluntarium. *ibid.*
Conscientia quid sit. 154. Actualis vel habitualis. *ibid.* Recta vel erronea. 155. Certa, dubia, probabilis, scrupulosa. *ibid.* Contra erroneam operari peccatum est. *ibid.* Ut operari ex practice dubia. 156. quid sit conscientia tuta. *ibid.*
Corpus petit nutritionem & augmentum. Inde necessitas alimentorum. 142.
Correctio fraterna quando adhibenda. 239.
Cultus Dei qualis & quotuplex. 119. 120. Cultus interni & externi officia: quo jure præscripta. 120. 121.
Cyrenaici & Epicurei quid senserint. 4.

D

Decalogus officium hominis & Jus Naturæ explicat atque confirmat. 33. Non tamen est primum principium Juris Naturæ. 103.
Defensio sui suorumque justa est a natura insita. 166.
Denuntiatio necessaria est in bello offensivo, non defensivo. 176. 177.
Dei notitia homini insita. 119.
Diogenis sententia de justo & de turpi refellitur. 57.
Divisio rerum quotuplex. Ejus tempus, auctor, causæ, a quo jure descendat. 30. 31.
Doctores Scholastici in explanando Jure Naturæ multa a revelatione mutuantur. 6. 7.
Dominium hominis in hominem quomodo introductum. 144.
Dubium quid. 155. Quotuplex. 156. in dubio practico vel speculativo quid agendum. 156. 157.
Duellum seu singulare certamen in quibus casibus licitum. 238.

E

Ecclesia Christi habet potestatem spiritualem jurisdictionis externæ & quasi politicæ. 140.
Eleemosinæ præceptum quando obligat 239. 240.
Epicurei in quo felicitatem statuerint. 36.
Ethnici Philosophi Pelagianis præluserunt. 3.
Evangelii Dogmata quoad Mores sunt instauratio Dogmatum Moralium quæ in anima rationali, sunt impressa. 18.
Excessus satisfactionis in Bello justo an legitimus. 209.

F

Factum quid sit & quid includat. 50.
Felicitas hominis male investigata & stabilita. 35. Quid sit, & in quo consistat. 36.
Fides & ratio non pugnant, imo sese adjuvant. 247. Fidei Dogma est veluti monitor. 16.
Finis Juris Naturalis non in sola hujus vitæ felicitate positus est. 41.
Fœderum origo. 220. Divisio, materia. 221. Obligatio. 222.

Dissolutio. 223. Cautiones. 224. An licita cum Tyrannis, infidelibus, Fidei Catholicæ hostibus. 225. usque ad 231.
Forma vivendi politica quæ fuerit ante diluvium. 24.

G

GRatia Philosophis Ethnicis incognita. 3.
Græci morali Philosophiæ operam dederunt. 2. 4.
Grotius (Hugo) quis fuerit, quæ studia; quid in scribendo sibi proposuerit. 39. in multis erravit 40. a Puffendorfio traducitur quasi periculosus. 20.

H

HÆresis ubi est, ibi superbia & discordia. 193. Turbat pacem Ecclesiæ immediate, pacem politicam mediate. 192.
Hæretici subditi vi & armis domari possunt, & ad Fidem, quam deseruerunt, compelli, 191.
Heineccii convicia in Doctores Catholicos. 12. Vult Jus Naturæ ex Sacris Litteris non esse derivandum. 16. Minus aberrat a vero in assignando Juris Naturæ principio. 104.
Henricus Kæthlerus quale statuat Juris Naturæ principium. 103. refellitur. 104.
Hobbesius honestatis principia & fundamentum Religionis refert ad statum mere Civilem. 4. Ejus errores in libris de Cive ac Leviathan. 40. 41. Quomodo Philosophetur circa statum naturalem. 89. 90. refellitur. 90. 91.
Homo debet de Deo recte sentire, & eum debito modo colere. 119. Ea credere quæ ut credibilia & credenda proponuntur. 122. Tendere in Deum ut finem ultimum per debita media. 123. Indiget victu & vestitu. 142. Non habet dominium proprietatis in alium hominem Jure Naturæ. 144. Habet dominium directivum. 145. Tenetur se magis diligere quam alios. 242. bonum alterorum spirituale temporali proprio anteponere. 244. Et in temporalibus communi bono potius subvenire quam sibi 245.
Honestatis duo sunt genera. 63. 64. Ejus principium est hominis intimum. 69. 70. Petenda est e convenientia cum rationali natura. 71.
Hostem occidere in justo bello jus est. 206. non tamen omnes indistincte. *ibid.* & *seq.* Ejus res & bona propria sibi facere, sed cum quadam limitatione. 208. Hostivicto misericordia debetur & humanitas. 217.

I

IDololatria fere totum orbem corrupit. 27. Ejus Authores. *ibid.* Causæ ex Salomone. 27. 28.
Ignorantia antecedens, concomitans quid sit. 49. Quando culpabilis vel non. 50. Juris vel facti. *ibid.* Utrum sit imputabilis. 50 51.
Imperia sunt juris gentium. 31. falsa Bodini sententia quod imperia omnia vi tirannica coaluerint. 31. Licita sunt, nec ab

ab irato Deo procedunt, ut somniant Anabaptistæ. *ibid.*
Imputabilitas fundatur in moralitate. 86. Ejus gradus. *ibid.*
Incarnatio fuit optimum remedium ad homines redimendos; Deus tamen potuit illud non velle. 55.
Induciæ quid. 232.
Infideles possunt indirecte adduci ad veram Fidem. 184. non autem directe compelli. 186. In eos Ecclesia nihil potest, quia foris sunt. 188. Iis servanda est Fides. *ibid.* Eorum dominium in Christianos non tollitur per libertatem Christianam, quod tamen limitationem admittit. 189. cum infidelibus fœdera inire in præjudicium Religionis aut contra Catholicos non licet. 225. Exceptiones. 227. 228.
Inimicos diligere tenemur ex lege Naturæ. 240.
Insolubilitas matrimonii est de Jure Naturæ. 143.
Intellectus licet sit radix libertatis, non est potentia formaliter libera. 79. Ejus objectum. 80. Unde melius agnoscatur advertentia intellectus. 49.
Inventio armorum a quibus facta. 169. 170.
Involuntarii actus non sunt imputabiles. 86.
Judicium non determinat necessario voluntatem ad id quod est melius. 55. 56.
Juramentum est licitum si detur necessitas, & serventur conditiones. 125.
Jurisdictionem externam habet Ecclesia 140. Etiam in hæreticos. 186. Non autem in Judæos & Paganos. 184. 186. Juris omnis origo a Deo. 23.
Juris Naturæ rectus usus. 12. Illustratur lumine Fidei. 16. Quomodo recte addiscatur. 20. Distinctum a Jure Divino positivo, sed in ordine ad ipsum considerari debet. 32. Illustratur jure Canonico & civili. 38. Quid respiciat, & quomodo dividatur. 93. Omnes obligat. *ibid.* An sit mutabile. 93. 94. Quid præcipiat aut vetet. 95. Ejus principium fundamentale. 105. Non est norma, secundum quam humana societas instituatur. 109.
Jus Gentium quid. 109. In quo differat a Jure Naturæ. 110. 111. In quo conveniat 111. 112. Affirmativum & negativum 115. Ejus effectus. 117. Quæ ad ipsum pertineant. 115. 116. 117. Nihil in sacra victoribus tribuit. 211.
Jus Divinum positivum solis Hebræis revelatum. 31.
Jus Belli & Pacis solis potestatibus summis competit. 175. 232. exceptiones. 232.
Jus contrahendæ pacis est delegabile. 233
Jus omnibus in omnia & omnes non convenit ex institutione naturæ. 90.

K

Καθήκοντος nomen vario sensu a Philosophis acceptum fuit. 5.
Kemerichius quid sentiat de libris Moysis, aliisque Divinis in ordine ad præcepta morum. 33.

L

LActantii sententia de Platone & Aristotele. 17.

Leibnitius vult non tantum humanæ tranquillitatis, sed etiam divinæ amicitiæ rationem haberi a Philosophis. 17. Inter desiderata refert Jus Naturæ & Gentium traditum secundum disciplinam Christianorum. 18. Contra libertatem indifferentiæ pugnat ex capite principii rationis sufficientis. 51. Puffendorfio adversatur circa normam actionum. 58.

Legatorum admissio & immunitas est Juris Gentium. 116.

Lex quid. 148. Impugnatur definitio Puffendorfiana. 148. 149. Vim obbligandi habet a Superiore. 149. Ad eam ferendam requiritur potestas jurisdictionis. *ibid.* Eaque principalis & primæva. 150. Sufficienter manifestari debet subditis. *ibid.* Quænam sit materia legis. 151.

Lex Naturalis aut positiva. Hæc aut Divina aut humana. Quid sint. 24.

Legis Naturalis vi non est determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo. 124. Nec definitur ciborum qualitas. 142.

Leges positivæ ab Exordio mundi. 24.

Leges omnes sunt a lege æterna. 151. hæc non est regula actuum divinorum, quatenus morales sunt & honesti. 152. Habet rationem legis respectu rerum quæ gubernantur a Deo. 153. Vim obligandi habet ab æterno, sed obligat in tempore respective ad Creaturas. *ibid.* Innotescit aut in aliis legibus, aut per alias leges. 153. 154.

Libertas voluntatis humanæ probatur ex Scriptura. 46. Ex Patribus. 47. Optime explicatur a S. Joanne Damasceno. 48. De ejus essentia est indifferentia tum contrarietatis, tum contradictionis. *ibid.*

Liberorum recta institutio est de Jure Naturæ respectu parentum. 143.

Lumen quotuplex sit. 12. Quid sit lumen naturale, quid supernaturale. *ibid.* Primum secundo subjici debet. 13. Supernaturale nedum utile, sed & necessarium est ratione quorumdam officiorum. 14. Unde separari non debent, aut seorsim tractari. 17. Quæ lumen naturale docet, cum iis quæ lumine supernaturali accepimus conferenda sunt. 18. 19. Obscurato per peccatum lumine naturali quid evenerit. 27.

Lutheri impiæ opiniones. 126.

M

MAchabæi contra Antiochum armis se defenderunt. 178.

Magistratus opem invocare si neglexerit Episcopus, proditæ Ecclesiæ incusatur ab Augustino. 178.

Malum quid sit. 63. 64.

Matrimonium est de Jure naturali; sed præceptum Matrimonii non obligat singulos. 145.

Mendacium valde dissonum est Naturæ rationali. 21. Nec licet mendacio Hostem decipere. 217.

Metus non aufert libertate simpli-

citer; sed secundum quid. 48. 49.
Moralitatis principium est ex intellectu & voluntate. 43.

N

NAtionum Mores ob defectum Fidei. 15.
Natura humana creata, Deus debuit ei dare legem naturalem. 59.
Necessitas quid sit. 48.
Nimia fœderatorum multitudo cavenda. 224.
Noachidæ qui fuerint, & ad quæ præcepta tenerentur. 28. 29. 30.
Non usu solvitur Fœdus. 223.
Norma actionum ab æternis veritatibus pendet. 58.
Notitia Dei quid, & in quo consistat, homini insita. 119.

O

OBjectum Juris Gentium. 115. 116. 117. Belli offensivi vindicatio juris aut reparatio damni: defensivi propulsatio invasionis injustæ. 166. Pacis. 233.
Obsides quid. 236. eorum obligationes & jura. *ibid.*
Officium hominis in genere quid sit. 118. Erga Deum in quo consistat, ejus causæ. 119. Circa id datur præceptum Juris Naturalis positivum & negativum. 121.
Officium hominis erga seipsum. 142. tenetur homo semper regulam rationis adhibere. 141.
Officium hominis erga proximum. Varium est pro diverso respectu mariti, patris, civis. 143. 144.
Ordo in Officiorum concursu servandus est. Deus super omnia diligendus. 242. respectu sui ipsius & proximi in bonis spiritualibus ad quid teneatur homo. 242. 243. 244. In temporalibus. 245. In necessitate quacumque, in extrema. 245. 246. Ex lege naturali hominis facultates dirigendæ sunt ad finem ordinatum. 142.

P

PActum quod Deus pepigit cum Abrahamo. 27.
Pagus quid sit. 144.
Patriarchæ Legislatores. 23.
Patres reprobant fœdera cum infidelibus 226. 227. Ex Patribus perperam probari intenditur bellum esse illicitum 174.
Pax quid, quotuplex. Ejus subjectum. 232. Exceptiones circa subjectum. *ibid.* Pacem sequuntur amnistia, restitutio, satisfactio, compensatio & 233. 234. Effectus. 234. Pacis contraria 235. 236. Accessoria. 236. 237.
Pace Ecclesiæ turbata nequit consistere pax Reipublicæ. 192.
Perjurium contra legem naturæ. 125.
Philonis de Diluvio testimonium. 25.
Philosophia Moralis totius Philosophiæ pars nobilissima. 1. Ejus Fundamentum. *ibid.* Plures errores detegit lumine Fidei. 6. A Patribus exculta. *ibid.*
Philosophi veteres errarunt in multis. 5. Detestantur scelera. 5. Cur tam absone de summo hominis bono senserint. 15. Ratio justi & honesti parum iis cognita. 35. In fine hominis assignando

do non ſibi conſtant. *ibid.* In quo felicitatem repoſuerint. 36. Eorum ſententia de interna actuum honeſtate. 69.
Plato recte de virrutibus diſſerit. 2.
Plutarchus inter Romanos Philoſophos numeratur. Quibus contineatur ejus Ethica. 5.
Pœnæ & præmia in altera vita propoſitæ a Religione naturali, abſtrahendo a temporali vel æterno. 122.
Pœnitentia reſpicit malum culpæ, ut aliquo modo deſtruendum. 123. Ad eam pertinet ſatisfactio. 123. 124.
Poligamia prohibita. 143.
Pontifices quomodo abſolverunt a juramento. 22.
Populus Dei a cœteris ſe diſcrevit, & ab Hebero dictus eſt Hebræus. 27.
Poteſtas omnis a Deo eſt. 23. Legislativa cum lege Adamo data fuit, poſteris communicanda, & inde in imperantes ac magiſtratus extenſa. *ibid.* Reſultat naturaliter in humana natura. 145. Determinata ad certum regiminis modum pendet ab arbitrio hominum. 145. Quæ jura contineat. 146. 147. In omni communitate datur aliqua ſuprema poteſtas in ordine. 150. Poteſtas civilis non poteſt ferre leges de actibus pure internis 146.
Præcepta Juris Naturalis negativa a Noachidis obſervanda quotuplicia. 28. Septimum de efu ſanguinis non pertinebat ad gentes. 129. Quid continerent duo prima. 29. 30.
Præceptum diligendi Deum. 123. Eique ſatisfaciendi. 124.
Principis officium primarium Civitatem ab internis & externis incommodis tutari. 146. 147. Principis jura. *ibid.*
Principes ſunt conſtituti ut eorum ſubditi vitam agant quietam in omni pietate, ut Eccleſiam defendant. 178.
Principium rationis ſufficientis non eſt novum. 51. Sub aliis terminis cognitum a veteribus, & ſolide confutatum a Scoto. 52. 53. 54.
Principium fundamentale Juris Naturæ eſt principium amoris. 105. Principium ſocialitatis nec adæquatum eſt, nec verum. 97. 98. Eſt etiam flagitioſum. 99. 100. Aliorum quorumdam Proteſtantium principia. 103. 104.
Probabilis opinio quid eſt. 159 Quæ opiniones poſſint comparari. *ibid.* Variæ ſententiæ circa probabilitatem. 160. Opiniones verſantur vel circa jus ipſum, vel circa res ipſas. *ibid.* Quoties eſt opinio probabilis actionem non eſſe malam, poteſt quis formare conſcientiam certam, conformem tali opinioni. 161. Non oportet ſemper tutiorem viam eligere. 162. Sæpe tamen tenetur homo præferre certam probabili, & probabiliorem minus probabili. *ibid* Et interdum licet uti opinione probabili, omiſſa probabiliori. 164.
Propagatio generis humani quo jure fiat, & quæ ſocietas inde oriatur. 143.
Proſelyti domicilii quinam erant, & quibus præceptis tenebantur: Proſelyti juſtitiæ ad quæ amplius obligabantur. 29.
Proteſtantes quid ſentiant de diviſione poteſtatis in ſacram & profanam. 126.
Puffendorfius quis fuerit, quæ ſcripſerit. 41. Quæ contra Catho-

licos Doctores dixerit . 7. De lumine Fidei quid ſenſerit . 15. Errat in Conſtituendo fundamento Juris Naturæ . 41. Et in aſſignando objecto ejuſdem juris . 42. Cujus nobiliſſimam partem negligit . *ib.* Male conſtituit rationem moralitatis. 44. 45. Confutatur . 57. 60. Ejus opinio circa ignorantiam refellitur. 50. 51. De lege honeſtatis regula male philoſophatur . 71. Quid de motu phyſico voluntatis humanæ , 44. 45. Confutatur . De ſtatu naturali 92. De principio Juris Naturæ 96. Male ex Jure Naturæ argumentatur contra Hierarchiam Eccleſiaſticam . 126. De habitudine Religionis Judaicæ ad Chriſtianam . 136. Refellitur . 137. 138. 139. Perperam ſentit de poteſtate ſpirituali juriſdictionis externæ . 140. 145. De materia legum . 151.

Pytagoræ Philoſophia ad quid comparata . 2.

R

RAtionis liberæ concurſus ad actus morales neceſſarius . 47. Rationis lumen revelationis lumine adjuvatur . 13. uſque ad 19. Rationis ſufficientis principium libertati applicatum impugnatur . 51. uſque ad 55.

Remigius Cellier Patres defendit adverſus Barbeyracium . 11.

Regna plura populorum conſenſu conſtituta . 31. Sunt tirannica per accidens . *idid.* Sunt Juris Gentium . 33.

Regnum Chriſti non eſt de hoc Mundo explicatur . 178. 179.

Reges habere poteſtatem in ſacra non probatur ex Scripturis . 137. Eccleſiam protegere , & ordinem Eccleſiaſticum adjuvare debent . 147.

Religio naturalis ſequitur ex cognitione Dei . 121. Per revelatam confirmata & explicata . 34.

Religionis cauſa licitum eſt bellum tam offenſivum quam defenſivum in certis caſibus . 180. Ejus propagatio non eſt juſta cauſa belli inferendi paganis . 183.

Religio voluntaria eſt . 187.

Religionis vaga & illimitata licentia Reipublicæ noxia eſt . 192. 193.

Religio eſt firmiſſimum vinculum Societatis humanæ . 121. Quæ uuice vera ſit . 213. 214.

E Religione naturali ad Chriſtianam an recte argumententur Proteſtantes . 126. uſque ad 136. An ex Religione Judaica . 136. 137. 138. 139.

Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem habitudo . 140. 141.

Renunciatione mutua ſolvitur fœdus 223.

Repræſſaliæ quid ſint . A Jure Gentium . 218. Quodnam eorum jus , quænam proprietates . 219.

Romani præſtantiores in Morum Doctrina quam in reliqua Philoſophia .

Sa-

S

SAtisfactio Deo condigna fieri non potest in pura natura. 124.
Scopuli vitandi in Evangelicæ prædicationis defensione. 185.
Scriptura non probat fœdus cum infidelibus. 229. Ex ea non probatur bellum esse illicitum. 172. Scripturæ promiscuus usus divisionum causa. 141.
Scrupulorum causæ. 158. Remedia. *ibid.*
Seldenus septem constituit præcepta Juris Naturalis ex disciplina Hæbræorum. Impugnatur. 29. 30.
Sensus internus quid. 82. 83.
Servitus non est de Jure Naturæ; non tamen est contra Jus Naturæ. 144.
Sicariorum immissio vetita Jure Naturæ & Gentium. 207.
Socialitas non est principium Juris Naturalis. 95. usque ad 102.
Societas e Jure Naturæ descendit. 144. Civilis Societatis fundamentum sufficiens est discrimen naturale hominum post Adæ peccatum. *ibid.*
Socrates ad quid transtulerit Philosophiæ studium. Ejus doctrina quid respiciat. 2.
Sors modus finiendi controversias. 288.
Spinosæ impium Systema de regula honestatis. 76. 77.
Stanleii sententia de Philosophia Platonis & Aristotelis. 3.
Status naturalis hominis qui sit. 89. Ejus differentia a statu Civili. *ibid.* Non est status bel li. 90. 91. Nec conditionis mi serrimæ. 92.
Stipendia militibus solvi deben 215.
Stoici quid sentiant de summo bo no. 36.
Suarezii sententia de veteribus Phi losophis. 7. Duplex ratio lumen egregie explicat. 14.

T

TAlionis lex in Bello non habet locum respectu occisonis. 207.
Traditiones Mosaicæ & Pharisaicæ. 33.
Transitus Militaris negatio non est justa Belli causa. 200. cum seq.
Tributa imponendi legitimus titulus est bellum. 214.
Tullius queritur tot esse opiniones de Natura Dei.

V

VAlentinus Alberti principium Juris Naturæ repetit a statu integritatis. refellitur. 104.
Velthemius queritur a Pufendorfio sibi eripi honestum per se. 57.
Veritas rerum & objectorum honestas a peccato originali penitus destructa. 14. 15.
Veritati contraria est amphibologia. 241.

Veritas assertionis quid exigat. *ibid.*
Volfii error circa Theoriam actionum humanarum. 66. Confutatur. 67. 68. 69.
Voluntas Dei non est tota ratio bonitatis & malitiæ actuum moralium. 56. cum seq.
Voluntas quid. 80. Ejus objectum. *ibid.* Actus eliciti vel imperati quid sint & quotuplices. 81. 82.

FINIS.

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

Typis ſemper adeſſe mihi non liquit ; unde quidam irrepſerunt errores præcipuos, quique ſenſum alterare, & legentem quodammodo remorari poſſent, correctos hic habes. Cæteros pro tua humanitate ignoſces.

Pag.	Lin.	Poſt	Addatur virgula
2	7	poſſet	legatur præclare
id.	10	præclare	carpendi
10	17	carpiendi	vix
33	3	vis	dicam
33	10	etiam	reſpectum
44	ult.	reſpectu	aliquorum
47	25	aliquod	perfectio
68	15	perſectio	conſonat
70	4	cum ſonat	honeſtas
74	19	honeſtus	ut pote
78	7	ut pute	etsì
id.	ult.	& ſi	inrernus
83	7	infernus	inſtrumenta
113	1	inſtrumento	ſenſu
118	1	ſenſum	ſummus
150	20	ſanctus	probabiliorem
159	8	probabilem	ad ea
183	16	adea	eſt
185	27	ex	molliora
191	7	meliora	aliud
221	12	alium	ac defenſivum
id.	31	ac offenſivum	gerere
241	1	genere	